Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Compendii Theologiæ Positivæ Universæ Ex Obligatione Nostra Erga Deum Deductæ Specimen ...

Rostochii: Typis, Nicolai Schwiegerovii, MDCCVI.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025697472

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1025697472/phys_0001
DFG

Praes. 280 p

Hunc librum sibi 6 a[illegible]
Henricus Christophorus Pol-
tzius ao 1707. compara-
vit.

Th — 3083.

51c. 8.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1025697472/phys_0002
DFG

COMPENDII THEOLOGIÆ POSITIVÆ UNIVERSÆ

EX

OBLIGATIONE NOSTRA ERGA DEUM DEDUCTÆ

SPECIMEN,

Quod

Sub Divini Numinis Gratiâ

Consentiente Max. Rev. THEOL. Ordine

PRÆSIDE

ZACHAR. GRAPIO,

SS. Theol. Doctore Ejusdemqve Professore Publico Ordin. & ad Ædem Cathedral. D. Jacobi Verbi Divini Ministro,

RESPONDENS - AUCTOR

HERMANNUS Lebermann.

Lubecensis,

Disputationibus aliqvot publicis ventilavit

H. L. Q. C.

ROSTOCHII,

Typis, NICOLAI SCHWIEGEROVII,

Ampl. Sen. Typogr. Anno M DCCVI.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025697472/phys_0005

DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Ad Clariſſ. Dom. Reſpondentem.

QUarta hæc eſt diſputatio, quam ad ventilationem publicam in Academiâ noſtrâ proponis, doctiſſime LEBERMANNE, quâ univerſam Theologiam potioresque in eâ controverſias quaſi in compendio es complexus. Audivi Te in præcedentibus pariter & in inſtitutis intra privatos meos parietes exercitiis rem maſculè agentem, atque inde documentum me ſumere facile eſt, quod nec in præſenti hoc negotio remiſſius perſonam Tuam ſis acturus. Recondidit in Te Divina providentia ingenii & eloquentiæ dotes eximias & ſingulares. Tuam in dicendo ad populum promptitudinem & facundiam laudant omnes. Nec exiguam rerum ſacrarum ſcientiam in Academiâ Juliâ noſtrâ-

que Tibi comparasti. Parentem Tuum, de Ecclesiâ Lubecensi optimè meritum, quin aliquando doctrinæ vitæque exemplo expressurus sis, optima pientissimaque mater tua & universa necessitudo Tua non amplius dubitant. Quibus & ego vota precesque meas ad DEum conjungo, ut Te Spiritu suo & posthac regere, ut studiis Tuis pondus & robur addere, ut Te vas gratiæ suæ & Divinæ complacentiæ efficere, ut uberrimum ex Te fructum ad Ecclesiam aliquando derivare velit. Scr. Rostochii die 2. Augusti, Anno MDCCVI.

Jo. Fecht, D.

NOBILISSIMO AC CLARISSIMO

Dn. RESPONDENTI suo

S. P. P.

PRÆSES.

PRopriæ ædificationis ergo præsentem laborem in te non sine laude suscepisti, ut nimirum integram illam Theologiam dogmaticam in compendio quodam repeteres, mentemque lingvamque in Exerci-

ercitio quodam disputatorio aliquoties exerceres. Ordinem illum qui omnino arbitrarius est, quemque nemini obtrudis, servasti, quem B. ille, magnorumq; meritorum Theologus DN. JUSTUS CHRISTOPH. SCHOMERUS, Præceptor ille meus, Studiorumque moderator â teneris & post fata â me colendus, commendare solebat, optans, ut illo tota Theologia â Studiosis addisceretur, secundum quem ordinem & ipse ego ante aliquot annos Theses quasdam Theologicas exercitio cuidam disputatorio privato, licet brevissimis, destinavi. Neque, ipsum fontem qui est Religio, quod concernit, aliquid novi hic tentas, ut & jam ipse in præfatione quam optime monuisti. Nec forte quis erit, qui putet, institutum tuum ferme idem esse ac Cocceji ejusque assectarum, qui per universam Theologiam fœdera meditantur. Sic enim ipse tu in Compendio præsenti fœdera peculiari cuidam complecteris capite, ceu causas, ob quas itidem DEO nostro tenemur, quæque adeo cum ipsa obligatione nostra, stricte loquendo, non confundenda esse doces. Sic & reliqua omnia ita tractas, ut orthodoxiam ubivis quam accuratissimam serves, quæque & ex Cathedrâ academicâ publicâ magnâ cum facundiâ defendisti. Cumque nunc labori huic ultimam imposueris manum, ante omnia

tecum summo Nostro Numini decentissimas persolvo grates pro suâ nobis exhibitâ Gratiâ. Deinde vero & Tibi animitus gratulor de edito hoce specimine. Faxit Benignissimus ille Deus, ut donis illis peregregiis, quibus te exornavit tam clementissime, porro utaris in Sanctissimi ipsius Nominis gloriam, Ecclesiæque nostræ afflictissimæ magnum commodum, ut magni quondam, deque Ecclesiâ Lubecensi longe meritissimi tui, nunc b. m. parentis fama in te revirescat, optimæque Tuæ Matri multa parias gaudia: Nec desint Patroni qui ulteriori studiorum tuorum promotioni quam promtissime adsint, quorum è numero & est, ut persuasissimus sum, Maxime Rev. ille LUBECENSIUM PRÆSUL, Magnus ille GOETZIUS, Fautor, & Amicus noster maximopere colendus, cujus ulteriori patrocinio, cum nunc in patriam tendas, te commmendatum esse quam maxime cupio. Ceterum in Domino vale, & pergas favere

Scribebam Rostochii, d. 2. Augusti. 1706.

Claritatis T.

ADDICTISSIMO.

Nihil

Nihil unqvam, Nobilissime DN. LEBERMANNE, Jucundius nihil antiqvius tuo extitit amabili consortio. Ingenii enim dotibus planè admirandis propitia te natura exornavit, eloqvii svavitate pariter atqve facunditate polles, doctrinæ thesauros non tam conqvirere, qvam avari ad instar corradere in deliciis habuisti. Testem qvi omni exceptione majorem desiderat, ille qvidem Præceptorum atqve Amicorum tuorum haud infucatis convinci poterit suffragiis. Enim v. qvid opus est, lucem in meridie accendere, cum ingenii tui monumenta in publicum prostent. Disputationes innuo tuas super universam Theologiam, qvas ad ductum Celebratissimi Theologi nostri DD. GRAPII, & sub ejusdem simul præsidio publico dare & masculè propugnare laborasti. Satis exindè edocti sumus, te otii qvidem, sed negotiosi illius otii causa (de qvo *Ambrosius in Epist. ad Sabin.* scribit. *Nunqvam minus otiosus sum, qvam cum otiosus*) Academiam nostram coluisse, & ad pedes Præceptorum tuorum sedisse. Certè hanc Tibi mentem enixè gratulor, & cum juxta Ebræorum effatum נר לאחד נר למאה *lucerna uni, lucerna pluribus sit*, facilè prævideo, fore ut jubar virtutum tuarum, qvod hactenùs hic locorum fulsit, & alibi, præsertim verò in amantissimâ Tua Patriâ coruscet. DEum precor, velit Tibi semper sua Spiritus S. gratiâ assistere, eosqve Tibi Patronos excitare, qvorum ope digna elegantioribus tuis studiis brabæa consequâre. Vale faveqve

Tui præclarissimi Nominis
Cultori indefesso
Herm. Christoph. Engelcken.

DJe Tugend ist dem Demant gleich / sie bleibet nicht im dunckeln;
Bey allen stets bekant zu seyn und in die Augen funckeln
Ist ihre beste Lust.

So

So liebt mein Freund auch Tugend-Arth; Er richtet sein beginnen/
Nur hin auff die Gelehrsamkeit/was nützlich/zu ersinnen;
Wie allen ist bewust.
Erfahrung hats schon offt bezeugt/ es braucht nicht vieler Sachen/
Das/ was gelehrter Welt bekant/noch mehr bekand zu machen/
Weils überflüßig nur.
Ich muß ja selbst in diesem Stück den muntern Geist erfahren
Im respondiren wolt' Er nichts/ was lösen kunt/ versparen
Der argumenten-Schnur.
Es lehret gegenwärtiges/ was Christen sollen gläuben/
Und wie der Menschen Lebens-Gang mög' unbeflecket bleibe
Im reinen Tugend-Lauff.
Wollan! es sey das Werck beglückt/Er bleibe nicht bestehen;
GOtt laß auch Ihn beglücket seyn im immer höher gehen
Zur Ehren-Staffel auff!

Also hat dem liebwerthesten Hn. Respondenten als seinem Hochgeschätzten Gönner zur glücklichen Vollendung des von der gelehrten Welt weit und breit gerühmten herrlichen Wercks erfreulichst gratuliren wollen

Sein Dienstbeflissener

M. Matth. Henr. Eggerdes/
Rostoch.

I. N. J. A.

PROLOGUS

B.L.S.

REpetiturus propriæ ædificationis gratiâ universæ Theologiæ positivæ compendium, repeto nunc theses illas jam ante biennium âDn. Præside editas, in qvibus exhibet istiusmodi sciagraphiam qva *B. Dn. D. Just. Christ. Schomerus, judiciosissimus qvondam Academiæ hujus Theologus,* optare solebat, ut in Academiis universa Theologia non mutila & manca, sed integra pertractaretur, omniaqve *ex obligatione nostra erga DEUM* deducerentur, & *Theologia moralis*, ceu alterius Theologiæ partis, qvæ alias communiter à *didactica* & qvidem minus rectè per Studiosos Theologiæ divellitur, ratio habeatur, qvæ l. planè non, l. admodum raro in Academiis tractatur; sine qva tamen reliqva Theologia re vera manca est, & non nisi *Semi-Theologia*. Docetur enim ubivis in compendiis vel systematibus, *Religionem*, qvæ *objectum* statuitur totius theologiæ, complecti sub se & *credenda* & *agenda*; Verum si compendia & systemata ipsa pervolvamus, non nisi *credenda* sive Articuli fidei comparent, *agenda* vero vel desiderantur, vel non nisi articulo de lege qvodammodo inseruntur. Utrumqve autem hic conjungo, qvantum *compendium* qvod & nunc tantum meditor, capere potuit. Nimirum primarias theses, additis interdum

dum qvam breviſſimis earundem argumentis potioribus ſiſto, easqve & contra antiqviores & contra recentiores qvosdam noto, in *ſecunda* ſcilicet parte. In *tertia* parte ſeqvor *B. Dn. D. Schomeri ſpecimen Theologiæ moralis ejusqve collegium MS.* qvibus vix meliora hoc in ſtudio dantur, ex qvibus etiam non ita pridem qvam nitidiſſimum *Theologiæ Moralis compendium Güſtrovii edidit Excellentiſſimus Gymnaſii ibidem RECTOR Dn. OTTO.* Nihil novi hic molior, ſed qvod jam antea *B. Dn. D. Hulſemannus & Dn. D. Scherzerus* tractarunt, niſi qvod magis completum qvoad *tertiam* nimirum partem compendium ſiſtatur. Qvemadmodum & idem inſtitutū ante aliqvot annos in hac ipſa Academia fuit *B. Dn. D. Joh. Gottlieb Molleri*; ſed qvantum ego qvidem memini, ad finem plene non perductum. Neq; animus eſt vel alia compendia contemnere, vel receptam illam Analyticam methodum, aliis & qvidē qvi eidem aſſue facti, ex manibus extorqvere, vel qvocunq; alio modo cuidam litem movere, cum hic ſaltem de *ordine* agatur, qvi & *arbitrarius* eſſe poteſt, quemqve cuivis, qvemcunqve etiam elegerit, lubens relinqvo. Sed uti jam dictum vel propriam ſaltem ædificationem pagellis hiſce intendo, utq; materiam habeam, de qva exercitium aliqvod diſputatorium propoſito meo qvam maxime inſerviturum per univerſam theologiam inſtituere poſſem. Adſit vero ergo mihi Auguſtiſſimum illud Numen Spiritus ſui S. Gratia. Deniq; TE L. B. Clementiæ Divinæ; me autem tuo favori commendo. Vale.

JEHOVAH!

JEHOVAH! JUVA!

Prolegomena generalia
De
Natura & Conſtitutione Theologiæ in genere.

§. I.



Heologia vi vocis (I) non eſt ſermo DEI (α) qvia Θεολογία, unde eſt, ſignificat de DEO loqvi. (β) Quia concretum Theologus non eſt DEUS loqvens, ſed de Deo loqvens (γ) Qvia alias confunderetur principium cum principiato, (δ) ex aliis vocibus: e. gr. Aſtrologia non eſt Sermo Aſtrorum, ſed de aſtris. Pneümatologia non eſt Sermo Spirituum, ſed de Spiritibus &c. Ita & Theologia non Sermo DEI, ſed de DEO. Contra Calvinianos non nulli. (II.) Nec eſt habitus differendi de DEO. (α) Qvia de habitu nihil in voce occurrit. (β) Qvia alias confunderetur definitio nominalis cum reali Contra Muſæus. (III.) ſed Sermo de DEO.

§. II. Concretum : Theologus habet penultimam pronunciatione Græca longam : Θεολόγος. Nam vocabula in os, derivata à præterito medio, & cum nominibus composita, si active capiuntur, accentum habent in penultima ut θεοτόκος, θεομάχος, ανθροφόνος.

§. III. Dicitur *Johannes* in *inscriptione Apocalypseos Theologus* maxime ob visiones Majestatis Dei inter choros angelorum præsentis, à qvibus ex *Ezech.* 1. prima Theologiæ Judaicæ antiqvissimæ pars vocatur מעשה מרכבה *opus qvadrigæ.*

§. IV. Distinctio Theologiæ in ἀρχέτυπον & ἔκτυπον proba est & bona. Nec fundamento suo in ipsa scriptura destituitur. *Job.* 1, 18. 1. *Cor.* 2, 10. 11. *Jac.* 1, 16. 17. Contra Calviniani non nulli.

§. V. Theologia ἔκτυπος Humanæ Christi naturæ minus recte vocatur *unionis* (1.) Qvia per unionem communicata sunt infinita & immensa, Theologia vero ἔκτυπος finita est & dimensa. (2) Qvia alias confunditur Theologia ἀρχέτυπος humanæ naturæ cum hac theologia, cum tamen illa competat eidem personaliter & communicative, hæc vero habitualiter & subjective. Contra B. Brochmand.

§. VI. Putat eqvidem ex Nostratibus *B. Affelm. in Syntagm. part. 1. p. 1.* in Paradiso saltem

saltem *naturalem*, non vero *supernaturalem* & *superadditam* qvandam Theologiam habuisse locum: Non tamen negandum, hominis intellectum, qvamvis fuerit perfectus, suo modo finitum tamen fuisse, ut adeo accessionem & incrementum non excluserit, & licet concreatam haberet sufficientem DEI & juris naturalis ac æterni notitiam; non tamen qvæ positivæ, seu arbitrariæ voluntatis divinæ erant, absqve revelatione intellexit. Hinc ut animalia cognoscerentur, adducenda erant, ita & interdictum de arbore vetita specialiter proponi debebat.

§. VII. Theologia homiletica non est peculiaris Theologiæ pars, vel species; sed saltem applicatio Theologiæ Exegeticæ & didacticæ. Qvod comprobat usus & experientia.

§. VIII. Non omnes conciones sunt proscribendæ, in qvibus humana verba qvoad discretam qvantitatem seu numerum præpollent divinis formalibus, modo verba humana divinis non sint contraria, & virtualiter seu per bonam consequentiam radicentur in scripturâ. Sic enim (α)hæc conveniunt continuæ Ecclesiæ praxi. (β)ædificationem ex istiusmodi concionibus esse qvotidiana experientia testatur. (γ) Qvia alias seqveretur neminem ex ec-

cleſiæ Miniſtris hactenus recte concionatum fuiſſe, qvod tamen dici neqvit.

§. IX. Theologia Scholaſtica I.) uſum ſuum habet & laudem. (α) Dummodo illius apud Pontificios magna eſt auctoritas, cum qvibus tn ; in arenam deſcendere debemus diſputatoriam. (β) Dum etiam res divinas logice diſputando perqvirunt, nos autem hodiernis ſeculis pro more uſitato rem omnem per controverſiam diſputare debemus. Sic etiam (γ) laudatur in Scholaſticis ingenii acumen, à qvo & in Apol. A. C. magni & ingenioſi viri dicuntur. (δ) modeſtia in diſputando. (II.) Habet etiam vituperium & abuſum. (α) Varias etenim continet qvæſtiones otioſas, impias & blaſphemas. Vid. Gerh. in meth. Studii Theologici (ζ) inanes venatur ſubtilitates (γ) committit μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, dum fidei myſteria rationis ſuæ decempeda metiri conatur. His accedit (δ) neglectus ſcripturæ S. (ε) ignorantia linguarum Hebrææ & Græcæ, (ζ) confirmatio errorum & abuſuum Pontificiorum (η) Barbaries in deciſione.

§. X. Theologia Myſtica hodiernorum Novatorum ex Eccleſia ceu maxime perniciosa & inutilis eſt exterminanda (ι qvia pleraq; illius dogmata, nullum in ſcriptura fundamentum habent, hinc & raro in eadē

ſcri-

scriptura allegatur, ultra qvam tamen sapere non oportet, 1. Cor. 4, 6. (2) Qvia multa scripturæ è diametro adversantur, e. gr. contra Jes. VIII, 20. 1. Joh. II, 24. &c. (3) Qvia per deliramenta hæc mystica non potest non spiritualis fastus in animo decepti hominis generari. Ut qvotidiana experientia docet. (4) Qvia à solidioribus verisqve Theologiæ ac Christianismi fundamentis homo per eam abducitur. (5) qvia per eam seducitur ad periculosissima qvævis blasphema, imo magica tandem.

Contra Novatores.

§. XI. Theologia est à Deo tanqvã donum non sanctificans; sed ministrans 1. Cor. 12.

§. XII. Adeoqve & homo impius potest esse subjectum Theologiæ, æqve ut bonus in doctrina Ethicus esse, aliosqve virtutem egregie docere potest, in qvo ipso virtutum moralium reperitur nulla, & uti ille qvoqve est verus juris peritus, qvi coram jus versatur, qvamqvam sit injustus. Nec Theologia istiusmodi hominis impii falsa est dicenda, sed vera. (1) Qvia notitia in subjecto tali ad solum intellectum pertinet; sanctitas vero, qvæ à subjecto abest, ad voluntatem. Potest autem aliqvid vere cognosci per intellectum, tametsi res cognita in subjecto non deducatur ad praxin per voluntatem. Luc. 12, 47. (2) Qvia notitia naturalis gentilium, qvam de DEO

habent describitur ut vera Rom. 18, 22. qvamvis abfuerit salutaritas. (3) Qvia si Theologia hominis impii non vera, nec ejus administratio sacramentorum erit vera, & sic nemo erit certus, an vere baptizatus, an verum accipiat Sacramentum cœnæ. (4) Qvia alias seqveretur, unam eandemqve propositionem Theologicam simul & veram esse in subjecto pio; & falsam esse in subjecto impio. (5) Qvia seqveretur etiam Ministros impios, tametsi scripturæ sacræ conformia prædicent non prædicare veritatem. Et hinc etiam Theologia hominis impii non est donum naturæ & Philosophica; sed gratiæ, assistentis scilicet, qvia (1) Spiritus S scripturis nunqvam non indivulso nexu conjungitur. Joh. 6, 63. (2) Qvia scriptura lux est. (3) Qvia alias seqveretur carnem & sangvinem nobis mysteria divina revelare. Qvod falsum. Matth. 16, 17. 1. Cor. 2, 14. 1. Joh. 5, 9. Neqve etiam dicenda carnalis, sed spiritualis. (1) qvia Theologia illa ratione originis ne qvidem naturalis dici potest. (2) Qvia verba S. Scripturæ Spiritus & vita sunt. Joh. 6, 63. (3) Qvia per verba etiam impii concionatoris oculi Auditorum aperiuntur, ut convertantur à tenebris ad lucem, conversio autem est Spiritualis. Act. 26, 18. conf. & omnino exemplum illud Matth. 23, 3. Contra Pietistæ.

§. XIII.

§. XIII. Sapientia Theologica initia sua capit in intellectu, non in voluntate, qvæ illum seqvitur, non antecedit. Intellectus namqve primum agendi est principium, cui omnis alia facultas in homine subjicitur in naturâ rectâ; adeoqve ille ante omnia recte sese debet habere, si voluntas qvid velit capere. Contra Pietistas, & Indifferentistas.

§. XIV. Objectum Theologiæ est Religio, sive: obligatio nostra erga DEum.

§. XV. Finis Theologiæ primarius est Salus æterna 1. Tim. 4, 6. Qvia hujus obtinendæ gratia Theologia docetur & discitur, isqve bonitate suâ homines ad excolenda hæc studia movet, Joh. 20, 31. Joh. 5, 29. Secundarius Sanctitas charitatis, & bonæ conscientiæ. 1 Tim. 1, 5.

§. XVI. Principium Theologiæ non est Ratio (1) Qvia fides nostra non est ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων, sed in potentia DEI. 1 Cor. 2, 5. utpote qvæ non est ἐπιστήμη φιλοσοφικὴ sed σύνεσις καὶ σοφία πνευματικὴ. coloss. 1, 9. (2) qvia hodierna nostra post lapsum Ratio vitio corruptionis sæpissime Revelationi adversatur. (3) qvia ratio est contra DEum. Rom. 8, 7. (4) qvia mysteria supra rationem sunt posita. (5) qvia ratio cæca est, & mysteria fidei ignorat. Es.

55, 7. Matth. 11, 27. Gal. 4, 6. 1 Cor. 2, 14. (6) qvia illa ſub obſeqvium Chriſti eſt captivanda 2 Cor. 10, 5. (7) qvia multi rationis judicium in rebus fidei ſeqvuti vel errarunt graviſſime vel perierunt miſerrime. Contra Calviniani. Nec II. Concilia. (1) qvia illa non ſunt ab omni errore immunia, qvod imprimis demonſtrant eorum pugnantes canones & ſententiæ. (2) qvia eorum decreta ſunt interpretatione Scripturæ poſteriora. (3) qvia ad normã S. literarum ſunt examinanda. (4) qvia non omnes textus biblicos exponunt. (5) qvia ipſi pontificii haud raro in Scripturæ interpretatione à patribus & conciliis diſcedunt. (6) qvia eorum judicium non eſt ſimpliciter neceſſarium. Contra Pontificii. Nec. III. conſenſus qvinqve ſecularis. (1) qvia patres infinitis prope modis, à ſe invicem diſcrepant in ἑρμενεία ſeu ἐπιλύσει γραφῶν ac ſæpè in ferunt ſenſum ἀσύμφονον γραφαῖς, & prout collibitum illis fuit, commentationes inſtituerunt à textu alienas. (2) qvia Scriptura multo clarior eſt ſcriptis Patrum. (3) qvia etiam illis non eſt facta infallibilitatis promiſſio, & in qvinq; prioribus ſeculis omnino etiam errarunt. Contra Syncretiſtæ. IV. nec papa. (1) qvia erroribus eſt obnoxius. (2) qvia plurimi adeo ſunt illiterati, ut grammaticam penitus ignorent. (2) qvia

Roma-

Romani Pontifices S. scripturam sæpe absurde, & contra directam Spiritus S. mentem in decretis suis interpretati sunt. (4) qvia pontificum interpretationes intèr se adversa fronte pugnant. (5) qvia DEUS in Sacris literis nullum talis judicis indicium fecit. (6) qvia antiqva ecclesia talem ignorat. (7) qvia ipse ad S. scripturam est alligatus, & ex ea judicandus. (8) qvia multi Paparum fuerunt Athei, dæmoniaci, Magi, adulteri, incesti, hæretici, blasphemi, Epicuræi, immo ipsis sodomitis qvandoqve neqviores. Contra Pontificii. V. Nec nova qvædam immediata Revelatio speranda. (1) qvia Scriptura nos revocat ad Mosen & Prophetas. Luc. 16, 29. (2) qvia Christus jubet scrutari Scripturas. Joh. 5, 39. (3) qvia Petrus monet sermoni prophetico attendendum esse. 2 Petr. 1, 19. (4) qvia sacræ Literæ nullas novarum revelationum additiones admittunt Deut. 12, 32. Apocal. 22, 18. (5) qvia ne angelo qvidem è cælo aliud Evangelium annuncianti credendum est Gal. 1, 8. (6) qvia nullibi revelationes immediatæ, aut visiones nostris temporibus expectandæ promittuntur, sed potius ut caveamus ab illis monemur. (7) qvia sæpe in hisce imprimis hodiernis inest fraus & fallacia diabolica. (8) qvia illarum mala & absurda est conditio, 1. Cor. 14, 29, 32. Contra Enthusiastas & Neoprophetas. VI. Sed principium

cipium Theologiæ sola & unica Scriptura Sacra est. (1) qvia non tantum Scriptura expresse in scripturis sic describitur, in locis. Ps. 19, 5. Rom. 10, 18. Gal. 6, 16. Sed & (2) qvia præter illam nullum aliud principium admittitur. Gal. 1, 8, 9. & (3) in articulis fidei, aliisqve casibus unice ad eam provocatur Jes 8, 20. seq. Luc. 16, 29. Matth. 4, 4. seq &c. (4) qvia & Scriptura est sufficientissima. 2. Tim. 3, 17. & (5) qvia nullum aliud ostendi potest principium, cui tuto credamus.

§. XVII. Genus Theologiæ est habitus non mixtus, seu theoretico-practicus. (1) qvia habitus theoreticus & practicus sunt diversæ species & distincti habitus, & proinde non potest esse unus idemqve habitus. (2) qvia differentiæ sunt oppositæ, qvæ non permittunt ut speculativus & practicus sit unus idemqve habitus habeat duplex definitum objectum. (4) qvia alias & ordine analytico & Synthetico tractari debebat Theologia. (9) qvia etiam ita non potest esse una formaliter talis disciplina, utpote qvæ ordinatur ad unum finem vel objectum (11) sed mere practicus. (1) qvia objectum totum est practicum (2) finis & scopus practicus (3) media omnia practica. &. (4) munia omnia practica. Contra Nonnulli.

§. XVIII. Philosophia Theologiæ ancillatur.

tur. Hinc nec eidem ceu divinæ sapientiæ radius & divinum donum ac bonnm, contradicit. Contra Nonnulli Novatores.

§. XIX. Studiosus Theologiæ non potest carere notitia lingvæ Ebrææ. (1) ob textum originalem V. T. (2) qvia difficiliora ibi sunt loca plurima, nonnisi accuratioris literaturæ hebraicæ beneficio judicanda. (II.) & Græcæ. (1) qvia textus originalis & authenticus N. T. græcus est; nunc autem rerum gestarum fides ab ea lingva repetenda est, ex qva interpretatum est, qvod habemus. (2) qvia græca V. T. versio LXX. cum primis interpretum adest; hæc autem in N. T. interdum allegata est, & magnam lucem in vocibus phrasibusqve N. T. explicandis conciliat. (III) nec philosophia. (1) qvia facit ad exercitationem intellectus & rationis nostræ. (2) ad congressus & colloqvia cum qvibusvis adversariis nostris, (3) ad veritatis & falsitatis investigationem in nonnullis controversiis. Contra Nonnulli.

§. XX. Systemata theologica polemica non sunt eliminanda ex Ecclesia, sed omnino retinenda. Sic namqve (1) & ipse Christus & Apostoli polemica tractarunt. (2) jubetur minister ecclesiæ contradicentes redarguere. 2. Tim. 2, 24. Tit. 1, 9. (3) qvia antiqvitas semper methodum

Syste-

systematicam habuit, ut ex Systematum historia constat. (4) Ecclesiæ maxime interest, ne summa cum imis misceantur. Contra Pietistæ, & Indifferentistæ.

§. XXI. Universa Theologia omnium optime deducitur ex objecto ejus, nimirum religione, seu obligatione hominis erga DEum, & in tres dividitur partes. Prima est qvasi præliminaris, & agit de obligationis nostræ erga DEum certitudine contra Atheos potissimum. Secunda de causis, ob qvas, seu qvare DEO obligemur, nimirum vel ex ejus naturâ, vel ex beneficio, vel ex maleficio nostro. Atqve huc spectant omnes loci Theologici: Tertia de obligationis nostræ partibus, actibus, vel muniis, qvæ & qvalia opera à nobis exigantur. vid. B. Schomer. in specim. Theol. Moral. c. 1. §. 1.

(o)

PARS I.

PARS. I.

CAP. I.

De

Existentia DEI, cui obligamur!

§. I.

DAtur ens aliqvod primum, summum ac independens, a qvo omnia reliqva sunt & dependent. Urget id inevitabilis animi propensio, cujus insitum lumen à contemplatione rerum, qvæ sensibus obversantur, eo fortius inflammatur. Sic enim in rerum causas, cum in qvirimus, processus in infinitum vulgato omnibus verbo est absurdus, certamqve aliqvam primam causam dari, unde omnis reliqvarum series promanet, nemo nisi qvivim sibi facit, in dubium vocat. Accedit multitudo & varius ordo rerum creatarum, cœli & tempestatum vicissitudines, fertilitas terræ, rupium per flumina dissectio, structura animantium admirabilis & imprimis corporis humani, & mille alia primam ac independentem qvandam causam asserentia.

§. II. Est vero hoc Ens non sine intel-

lectu,

lectu, sed maxime intelligens. Et ad id stimulamur naturali lumine, conscientiæqve testimonio. Qvando in summis angoribus ad supremum aliqvod Numinis auxilium precibus, ejulatibus ac votis recurritur, à judice aliqvo occulto supremo, bono, justo spes subita etiam desperatis, metus protervis ingeniis oboritur. Erigit in adversis & angit in media felicitate sæpius conscientiæ factorum honestorum vel turpium, ut pro via qvam qvisque se novit institisse ab altissima qvadam occultaqve providentia gratiam vel vindictam exspectet. Etiam ut agas, qvod velis; pungit freqventer obligationis internæ sensus, & secretus pudor retrahit impetum cupiditatis: aut si qvis sibi ipsi indulget, aliorum tamen mores non potest, qvin tali censura notet. Qvæ ut de lege innata, ita & de legis-Latore naturæ nostræ auctore, & qvidem ceu Ente maxime intelligente nos certiores reddit. Qvo & accedit communis ille gentium consensus.

§. III. Porro hoc Ens est saltem unum. Ipsa enim argumenta, qvæ DEum esse docent, hoc qvoqve docent, unum esse, neq; primum rerum principium aut summum arbitrum mente volvimus, qvia à pluribus principiis & summis rectoribus naturaliter abhorremus. Et si plura darentur Entia prima, independentia, & infinita, differ-

rent

rent etiam qvoad essentiam realiter. Qvod si vero differrent, necessario habebit unum, qvod non habet alterum, & sic in hoc cessat formalis ratio independentis, infiniti, ac summi.

§. IV. Eadem argumenta docent etiam DEUM esse naturæ simplicis & perfectissimæ: Nam qvod omnium primum est principium, ipsum non potest aliunde compositum esse. Qvod omnium rerum causa est, suamqve cuiqve perfectionem indidit, ipsum omnes ea perfectione naturæ necessario superat. Et sic Ens hoc simplicissimum, immateriale, immutabile, & sic porro erit. conf. B. Schomer. Theol. moral. c. 6. §. 3. seq.

§. V. Ergo Ens hoc non est cœlum, vel Natura, naturata scilicet, qvam & Athei nonnulli hoc universum vocant. Natura enim hæc non est talis, ut hactenus DEUM nostrum demonstravimus. Hinc Naturam hanc cum Spinosa DEUM vocare, est nullum DEUM agnoscere.

§. VI. Datur Ens hoc primum non otiosum: Sed maxime negotiosum, curam rerum omnium creatarum habens accuratissimam. Qvod probari potest (1) ab Existentia DEI. Datur DEUS, ergo & providentia ejus dabitur. Neqve enim DEus est, si non sit perfectissimus, Ens primum, & summum, sapientissimum,

optimum, omnium rerum conscium & præscium. &c. *A quo suspensa sunt omnia*, ut Seneca loqvitur, *causa causarum*, *ultimus rerum finis*, *qvique summum in qvacunqve creata non habeat imperium* (2) ex indigentia creaturarum. Cum enim creaturæ originem habeant à Deo, & ex nihilo sint productæ, necessum est, ut in suo esse per providentiam conserventur. Nihil enim qvod ab alio est, se ipsum conservat. Imo repugnat ipsi creaturæ notioni ut credatur independens esse à conservatione divina, nimisque injuria esset hæc hypothesis in gloriam DEI, qvod nempe dentur qvædam, qvæ DEO non indigent vel ad tempus. Architectus qvidem inter homines laudem habet operis bene facti, si illud stare potest sine ipsius opere, qvia qvicqvid facit beneficio legum mechanicarum facit, qvæ in natura reperiuntur, & beneficio firmitatis, qvæ est in materia, ideoqve laudatur, si leges naturæ recte secutus fuerit, ut stare ædificium possit. Verum opera divina solam sequuntur legem DEI, neqve aliena virtute stant, qvam qva stare jussa sunt. (3) Ex qvotidiano rerum ortu mirabili, rerumqve viciſſitudinibus ac motibus, e. gr. temporum, anni revolutionibus, imperiorum translationibus, &c. (4) Ex interno animi, ac conscientiæ testimonio, ut qvæ Deum

sibi

sibi præsentem & omnium rerum directorem sentit. (5) Ex consensu saniorum gentilium.

§. VII. Manifestavit se Ens hoc primum & summum Deus non saltem in Natura, sed & necessario alibi perfectius. Cognoscit enim homo, esse DEUM, & id cognoscit, hunc DEum suum esse Dominum, se vero ejus servum & ad cultum obligatum. Sed jam ulterius concluditur: DEus ut Dominus non secundum voluntatem servi; sed secundum voluntatem suam, legesqve à se præscriptas esse colendum. Si hoc, oportet, ut voluntatem hanc suam, secundum qvam velit coli, homini manifestaverit: cumqve hic modus in Natura non reperiatur, necessario alibi debet haberi Verbum revelatum. Et hoc certo qvodam contineri libro admodum probabile est. Est autem ejusmodi Scriptura illa Sacra, ut ex criteriis autoritatis ejus divinæ apodyctice constat, eaqve unica.

§. VIII. Atqve hinc duplex datur DEI notitia: Altera naturalis, altera, revelata. De hac in seq. parte, de illa paucis adhuc h. l. Contra Sociniani.

§. IX. Notitia DEI naturalis vel est insita, vel acqvisita.

§. X. Notitia DEI naturalis insita inest non per modum dispositionis. (1) Qvia definitio dispositionis hactenus à Philosophis

tradita notitiæ naturali insitæ non competit. Contra Nicolai. (II.) Nec per modum actus. (1) Qvia actus præsupponit adhuc aliqvod aliud principium, qvod h. l. debet esse connatum. (2) Qvia actus est transiens, notitia insita permanens. (3) qvia confunditur insita notitia cum acqvisita, à qua per hoc dogma discerni neqvit. Contra Scholastici. III. Nec per modum potentiæ. (1) Qvia lex dicitur cordibus nostris actu inscripta. Rom. 2. (2) Qvia potentia, etiam propinqva contrariorum est, & indifferens. (3) Qvia notitia insita exerit se per suos motus internos conscientiæ. (4) qvia notitia insita facit homines inexcusabiles. (5) Qvia phrasis admodum periculosa est, & tandem cum Socinianis ipsam notitiam DEI naturalem tollit. Contra Musæus. IV. Sed per modum habitus analogice sic dicti. (1) Qvia definitio habitus, qvoad illam partem, qvod difficulter sit mobilis, maxime huc qvadrat. (2) qvia nulla alia species qvalitatis commodius hic locum habet. (3) Qvia Syntheresis communiter pro habitu connato principiorum habetur, & à potentia intelligendi distingvitur.

§. XI Notitia DEI naturalis Cheiragogica est ad revelatam, Act. 17, 27.

§. XII. Notitia DEI naturalis vera qvidem est; (1) qvia expresse vera dicitur. Rom. 1, 15. (2) Qvia ex veris principiis con-

constat. Contra Flacius & Hofm. II. Sed imperfecta respectu salutis nostræ, (1) qvia multa adhuc ex notitia revelata addi debent. (2) Qvia vocatur ignorantia, Gal. 4, 8. (3) Qvia est indistincta & confusa, & per consequens imperfecta. (4) Qvia obstat Majestas & Sublimitas DEI, qvo minus possit esse perfecta. (5) Qvia sine Christo nemo potest salvus fieri. (6) Qvia ipsam salutem æternam prout in Scriptura revelata est ignorat. (7) Qvia nulla sufficientia media suppeditat, per qvæ ad finem hunc beatæ fruitionis DEI pervenire possumus.

Contra Naturalistæ & Indifferentistæ.

§. XIII. De existentia DEI ne ad momentum qvidem licet dubitare. 1. Qvia hic ne minima qvidem immo nulla est dubitandi causa, ob nimis firmiter menti impressam illam notitiam DEI naturalem. 2. Qvia existentia DEI manifestissima est. Rom. 1, 19. (3) Qvia dependentia nostra à DEo moraliter exigit, ut qvovis momento eum amemus & timeamus; cum qvibus tamen dubitatio stare neqvit. (4) Qvia medium est, qvo diabolus tanqvam spiculo ignito uti potest, ut in gravissimas nos præcipitet tentationes. 5. Qvia ipso momento, qvo qvis de Existentia DEI dubitat, Atheus est.

Contra Cartesiani.

§. XIV. Peccatum Philosophicum in illo qvi DEum ignorat maxime est offensa

DEI illudqve omnino DEum offendit, qvod perpetratur ab eo, qvi vel actu non cogitat DEum, vel non judicat de malitia rei, & sic peccatum hoc Philosophicum utiqve dissolvit amicitiam DEI. 1. Qvia est contra legem rationi impressam, & per consequens contra sanctitatem & justitiam DEI, legem hanc ferentis. 2 Qvia peccata gentilium, eaqve contra rectam rationem expresse describuntur ut mortalia & amicitiam DEI dissolventia, Rom. 2, 23. seq. 3. Qvia talis ignorantia excusari neqvit, & mater est variorum peccatorum. 4. Qvia officium nostrum est omni momento DEum nostrum coram oculis habere, & nihil agere, qvo DEum lædamus. 5. Qvia & involuntaria peccata DEum offendunt. 6. Qvia judicium nostrum non facit rem bonam l. malam, sed bonitas & malitia est ab ipsa illa actione, de qva judicamus. 7. Qvia nulla datur actio moralis indifferens, sed necessario vel bona vel mala est ad legem relata. Contra Jesuitæ.

§. XV. Dantur Athei Theoretici. Hoc qvotidiana testatur experientia.

§. XVI. Atheismus necessario ducit ad corruptionem morum. (1) Qvia Atheismus ipse theoreticus jam pessimum est vitium. (2) Qvia qvalis est causa, talis etiam est effectus. (3) qvia per Atheismum tollitur norma omnis actionis honestæ, qvæ

est

est lex, cum Legis auctor negatur; ubi vero hæc norma abest, nonnisi corruptio morum pessima seqvi potest necessario. Contra Bayle.

CAPUT. II.

De

Obligatione ipsa erga DEUM.

§. I.

Summo huic Enti DEO suo maxime obligatur homo ipsius creatura. Qvæ obligatio alias vocatur religio.

§. II. Obligatio hæc sive religio vel naturalis est vel revelata.

§. III. Religionis naturalis principium est Lumen Naturæ, ex duplici fonte obligationem hanc deducens, nempe duplici illa relatione, qvæ nobis cum DEO intercedit: altera comparationis, altera dependentiæ. conf. Schomer. loc. cit. §. 2.

§. IV. Religio naturalis non est sufficiens ad salutem, ob imperfectionem luminis sui, qvam jam præcedente Capite asseruimus.

§. V. Religionis Revelatæ Principium est Scriptura, eaqve unica. Jes. 8, 20.

§. VI. Religio revelata Adamitica Abrahamitica & Israelitica, seu V. T. qvoad substantiam non est alia à Christiana, seu N.T.

Actor. 4, 12. Actor. 10, 43. Actor. 15, 11. Ephes 4, 5. Contra Pontif. Armin. & Novatores.

§. VII. Recte Religio nostra discretionis gratia à B. Luthero nostro vocatur Lutherana. Nec hoc nomen est schismaticum, qvale olim in Ecclesia Corinthiaca. 1. Cor. 3. Contra Calviniani, & Syncretistæ hodierni.

§. IIX. Religio revelata complectitur sub se partim *credenda*, qvæ sunt ea, qvæ DEus nobis fecit, partim *agenda*, qvæ sunt ea, qvæ nos DEo debemus. Sed ita ut agenda credenda seqvantur, ut effectus suam causam.

§. IX. Ergo charitas & Bona opera non constituunt essentialem religionis s. Christianismi partem; sed ejus sunt conseqvens & effectus (1) qvia nunqvam charitas ut pars essentialis Christianismi in S. Sacra describitur (2) qvia bona opera expresse à salute nostra excluduntur. (3) ex natura Christianismi, sic enim Christianus est, qvi in nomen Christi baptizatus est, & omnium bonorum per Christum partorum particeps factus. Qvid hic Charitas? (4) qvia Charitas non ad internam essentiam lucis sed ad externum splendorem pertinet. Matth. 5, 16. (5) qvia bona opera non faciunt Christianum, sed Christianus facit bona opera. Hinc bene Lutherus T. 7. Altenburgens. p. 727. der Glaube macht allein die Christen Kinder GOttes. Conseqventer & Christianismum.

§. X.

§. X. Nec charitas poterit dici in Christianismo fidem antecedere. (1) ex aperta Scripturæ litera, qvæ fidem præponit. 2. Tim 1, 13. (2) ex hac ratione, qvia fides est causa charitatis jam vero causa prior est effectu. Contra Pietistæ

§. XI. Nec abnegatio sui ipsius poterit dici primum principium Christianismi practicum. (1) qvia abnegatio sui ipsius est fructus fidei & Christianismi, adeoq; principiatum, ergo non principium. (2) qvia alias charitas facile præmitti poterit fidei. Contra Pietistæ.

§. XII. Nec sola pietas *partialiter* accepta facit religionem. (1) qvia officium erga DEum non tantum consistit in vero Dei cultu, sed & in vero de eodem sensu: (2) qvia praxis Theoriam præsupponit. (3) qvia contraria assertio sapit Syncretismum, semper in Ecclesia damnatum. Contra Indifferentistæ.

§. XIII. Religio ob commodum temporale non est mutanda. (1) qvia contra conscientiam nihil qvicqvam est faciendum. (2) qvia talis homo peccat in specie contra DEUM, qvem deserit, sicqve peccans contra primum præceptum idolum aliqvod temporale adorat; contra proximum, cui scandalū præbet ad similem lapsum: contra se ipsum, dum se Reum facit pœnarum temporalium & æternarum. 1. Tim. 6, 9, 10. (3)

qvia talis mutatio repugnat judicio & praxi veteris ecclesiæ Christianæ. vid. 1. Tim. 1, 20. Cyprianum epist. 52. & libr. de lapsis.

§. XIV. Non potest qvilibet in sua religione nec statim in ea, qvæ gratiam secernit à natura, & ad abnegationem sui & Imitationem Christi tendit, pro lubitu alias statuit qvid velit, salvus fieri. (1) qvia veritas saltem est una. (2) qvia plures religiones & circa fundamentalia in contradictoriis versantur, qvorum necessario unum debet esse falsum, qvo si religio nitatur, impossibile est, ut qvis in ea possit salvus fieri. (3) qvia contrario dogmate fenestra ad qvamvis impietatem aperitur. (4) qvia alias numerus Hæresium plurimarum prædictarum admodum fiet exiguus. Contra Indifferentistæ.

§. XV. Ergo Indifferentismus hodiernus non nisi monstrum est horrendum. qvia jam notatis nititur.

§. XVI. Religio Pontificia & Calviniana cum Lutherana est irreconciliabilis. (1) qvia & Pontificia & Calviniana impingit in fundamentum. (2) qvia nunqvam ab his suis fundamentalibus erroribus adversarii desistent, et ex sæpius jam tentata conciliatione constat. (3) qvia non nisi fraudes continent omnes hactenus expositæ cogitationes Irenicæ, qvibus Lutheranos illaqveare student, Contra Irenici. §. XVII.

§. XVII. Ad religionem nemo est cogendus. (1) qvia spontaneum cultum DEus postulat Ps. 10, 3. (2) à praxi Christi & Apostolorum, qvi qvamvis qvidem utiqve per virtutem divinam cogere homines ad veram fidem potuissent, non tamen leguntur id feciſſe. (3) à periculoso, qvia multi hac ratione cultum simulabunt, adeoqve fient hypocritæ, qvi ore qvidem profitentur, sed corde negant. Contra Pontificii.

§ XVIII. Cujus regio est, ejus absolute non statim est religio, interna qvod concernit, utpote qvæ soli DEO competunt & per appropriationem Spiritui Sancto ut supremo Judici. Agitur enim hic de dominio in conscientiam soli DEO competente. Contra Hobbes.

§. XIX Summa veræ Religionis revelatæ habetur in Symbolis tam antiqvioribus qvam recentioribus.

§ XX. Symbolum Apostolicum non est ab Apostolis in ea forma, qvæ hodie exstat. (1) qvia id procul dubio Lucas memorasset in Actis. (2) qvia qvantum ad verborum formam variat apud veteres, ut peculiaribus scriptis Vossius & Usserius ostendunt. Videtur autem hoc Symbolum sic dici ob prima ejus initia, qvæ credita sunt ab Apostolis profecta, ex formula illa baptismali, qvia baptizandus profitebatur, se in illud nomen credere, in qvod nunc bapti-

ptizandus esset. Cui formulæ deinde subjuncta sunt verba, qvæ hæreses secundi & tertii seculi famosiores excluserunt, ut certi essent Episcopi de iis, qvos baptizarent. Contra Pontificii.

§. XXI. Symbolum Apostolicum non est adæqvata regula dogmatum ad salutem creditu necessariorum. (1) qvia non explicite continet omnes controversos articulos. e. gr. de peccato originali, de unione personali, de redemptione, de unione personali, de gratiæ DEI & meriti Christi universalitate, de Electione, de justificatione. (2) qvia sub eodem latere possunt omnis generis adversarii. Contra Syncretistas.

§. XXII. Symbolum Athanasianum non est Athanasii. (1) qvia Ecclesiæ Doctores, qvi contra Arrianos Nestorianos & Eutychianos scripserunt Symbolum hoc nunqvam in conflictu usurparunt. (2) qvia in hoc Symbolo non modo Arrianorum sed & Nestorianorum, & Eutychianorum doctrina satis aperte perstringitur; qvæ tamen post Athanasii tempora demum fuit exorta (3) si Athanasii esset, vel ipse ejus meminisset in Historia, qvam Epistolis de fuga sua & Apologiis aliis prætexuit, vel meminisset alius ejus seculi aut proximi saltem scriptor (4) qvia nec inter opera Athanasi reperitur. (5) qvia si Symbolum hoc Athanasii esset, græce id potius scri-

scriptum fuisset, qvam Latine. Contra Nonnulli.

§. XXIII. Symbolum Nicænum non à litigiosis Clericis, sed maxime piis & orthodoxis est consignatum, ut ex historia satis colligere est. Contra Novatores inutiles.

§. XXIV. Libri nostri Symbolici recte dicuntur norma, licet non *fidei*; tamen *confessionis de fide*. (1) qvia hac ratione ipsis competit descriptio normæ. (2) qvia hoc in sensu ab ipsis confessoribus vocantur norma. Vid. Præf. libr. Symbol. præmiss. (3) qvoniam & antiqviores sic sua Symbola normam vocarunt, Contra Pietistæ.

§. XXV. Libri Symbolici non sunt scripta mere humana sed & divina, imo & in sano sensu θεοπνευστία, mediata scilicet, de iis prædicatur. (1) qvia omnia reqvisita hujus θεοπνευστίας ipsis competunt, qvalia sunt (α) verbi scripti immediate θεοπνεύστε clarissimam & exactissimam veritatem tenere. (β) habere assistentiam Spiritus Sancti ex promisso communem, in sententiis verbisq; à qva directione lapsus humani non sunt alieni. (γ) habere singulari casu assistentiam ex promisso extraordinariam, mediante tamen verbo ortam, qvâ eæ in sententiis explicandis, adversus hostes phrases & modi loqvendi pia meditatione probe discussi eligantur, qvi civitate Sancta perapprobationē orthodoxæ Reipubl. donati, ut

Cy-

Cynosura testimonialis, & regula loqvendi infallibilis contra hostes veritatis inserviât. (2) id probatur ex praxi veterum, qvi e. gr. Patres Nicænos Spiritu Sancto motos asserunt, & Symbola divina vocant. (3) qvia æstimium librorum Symbolicorum conservatur, qvi hac ratione à communibus libellis eo melius discernuntur. Contra Pietistæ.

§. XXVI. Libri Symbolici nostri nullos in se continent errores. (1) qvia nil nisi purum DEI verbum continent, ex qvo sunt conscripti. (2) qvia singulari consilio ac industria sunt conscripti. Contra iidem.

§. XXVII. Ad libros Symbolicos rectissime obligamur, nec illi libertatem Christianam tollunt. Probatur prius (1) in genere ex locis Deut. 29, 10. 2. chron. 15, 14. Neh. 10. (2) adhuc specialius, ex exemplo Josiæ. 2. Reg. 23. 2. chron. 24. ex qvo constat ejusmodi potestas. (3) qvia nos cavere jubemur à falsis Prophetis. Matt. 7, 15. & probare Spiritus. 1. Joh. 4. 1. Qvod commodius fieri nequit, qvam per ejus modi obligationem ad certam formulam. Posterius Probatur (1) qvia nemo vi ad talem obligationem cogitur (2) nullis argumentis probari potest, qva in parte hic libertas Christiana angatur. Contra iidem.

§. XXVIII. Nec saltem ad literam, verum etiam ad consequentias eorundem legiti-

gitimas obligamur. (1) ex exemplo scripturæ, ad cujus non tantum literam; verum etiam consequentias obligamur. (2) Ex naturali consecutione: Qvi vult antecedens, velit etiam consequens necesse est. (3) ex Epilogo Augustanæ confessionis. (4) qvia alias latitare hic possunt adversarii. Contra iidem.

§. XXIX. Etiam sub alienæ Religionis Principe degens obligatur ad eos. (1) qvia juramentum Religionis obligat me tamdiu, qvam diu Religioni meæ sum addictus, qvia est contestatio qvædam publica ac testimonium illius religionis cui sum addictus & ex eo etiam cognosci poterit cuinam religioni sim addictus (2) qvia dogmata librorum Symbolicorum recta sunt ac vera, cur ergo obligatio cessaret? (3) qvia ne ille qvidem qvi non juravit in Augustanam Confessionem vivens in Turcia l. Romæ, qvoniam Imperator Turcicus vel Papa ipsum non adstringit ad Augustanam Confessionem, dicere potest: Ergo non adstrictus sum: Multo minus ille, qvi juramento se obstrinxit. Contra iidem.

§. XXX. Ratio obligationis pendet etiam ab autoritate Symboli. Qvia infallibilis hæc ex infallibili verbo depromta veritas est.

§. XXXI. Libris Symbolicis non conditionate *qvatenus* conveniunt cum Scriptura

S.

S.; Sed categorice: Qvia conveniunt, est subscribendum. (1) Qvia ille qvi libris his subscribere vult, jam in conscientia debet esse certus convenire illos cum Scriptura S (2) Qvia alias & Judæus & Papista & Calvinianus sub hac conditione libris symbolicis subscribere posset: Quatenus conveniunt cum Scriptura. Imo hac ratione Homo Christianus & Talmudi & Alcorano subscribere posset. Qvæ tamen mera duntaxat est elusio. Contra iidem.

PARS. II.

CAP. I.

De

Credendis in genere.

§. I.

CAusæ, ob qvas jam DEO nostro obligamur, sunt credenda illa, sive articuli fidei.

§. II. Fides hoc loco minus commode explicatur per amorem. (1) qvia hic potissimum doctrina fidei respicitur. (2) qvia multa absurda ex contraria sententia conseqvuntur ipsam fidem evertentia. Contra Novatores.

§. III. Divisio articulorum fidei in mixtos

tos & puros proba est & bona. Qvia firmum est illud fundamentum, qvo illa nititur. Contra Syncretistæ.

§. IV. Articuli fidei sunt vel fundamentales, vel non fundamentales.

§. V. Non fundamentales sunt, qvi salva fide & ignorari & negari possunt.

§. VI. Articuli fundamentales distinguuntur in *primarios* & *secundarios*. *Hi* sunt qvi salva fide & salute ignorari qvidem possunt, non tamen negari. *illi sunt*, qvi salva fide & salute non possunt ignorari. & rursus sunt vel *constitutivi* vel *conservativi*. vid. *B. Hunnii* διάτυπωσιν.

§. VII. Fundamentum fidei non est Amor DEI & proximi & odium ac contemptus sui ipsius. (1) qvia hic tantum exprimitur DEI cultus, cum tamen fundamentum fidei etiam respiciat verum de DEo sensum. (2) contraria sententia nihil monet de Christo, qvi tamen expresse fidei fundamentum dicitur. 1. Cor. 3, 11. (3) qvia alias articulus de bonis operibus infertur maxime primario in fundamentum fidei & salutis, qvod plane non est tolerandum. (4) qvia fundamentum fidei non est qværendum in vita, sed etiam in doctrina, qvia ex opposito Hæreticus, qvi peccat contra fundamentum fidei non ex vita & moribus, sed ex doctrina judicandus est. (5) Qvia alias omnes Pontificii & Calviniani imo

ipsi Judæi, Turcæ ac Gentiles unum nobiscum habebunt fundamentum; à qvo consortio nos custodiat Dominus.

Contra Indifferentistæ.

§. VIII. Definitio Hæreseos, qvod *sit error in fundamento fidei cum pertinacia junctus* accurata satis est, nec temere ridenda. Qvippe à Theologis qvoad omnes terminos accuratissime enodatur ac explicatur.

Contra iidem.

§. IX. Judæi & Mohammedani sunt Idololatræ. (1) Qvia non colunt verum DEum, cum Filium & Spiritum S. non colunt. (2) Qvia qvi non colunt filium, illi sunt Idololatræ. Joh. 5, 23. 1. Joh. 2, 23.

Contra Syncretistæ.

§. X. Socinianus ad Ecclesiam nostram veniens est rebaptizandus. (1) Qvia apud Socinianos non est verus Baptismus. Christum enim non agnoscunt pro vero DEO, in cujus tamen nomine Baptismus debet fieri. (2) Qvia Baptismus Socinianorum est ludicrus (3) à suffragio doctorum tam antiqvorum qvam recentiorum. (4) à praxi Ecclesiæ, tam veteris, qvam recentioris.

Contra Indifferentistæ &c.

(o)

CAP.

CAP. II.

De

Scriptura Sacra.

§. 1.

OBligamur DEO nostro, qvia nobis tale dedit principium, ex qvo sufficienter eum possumus cognoscere. Et hoc credimus.

§. II. Scriptura S. tota est θεόπνευς, & qvidem I. qvoad *res omnes* etiam minutissimas. (1) qvia omnis Scriptura est θεόπνευς. 2. Tim. 3, 16. (2) qvia nulla prophetia ex humana voluntate prodiit. 2. Petr. 1, 21. (3) qvia expresse Apostoli Spiritu S. acti dicuntur Festo Pentecostes prædicasse, qvamvis hæc omnia oculis suis vidissent. Act. 2. (4) qvia alias certam non haberemus Scripturam S. Contra Pontif. Calvinianos nonnulli, Socin. Armin. Novatores, II. qvoad *verba singula* (1) qvia omnis Scriptura, ad qvam & materiale spectat, est θεόπνευς. 2. Tim. 3, 16. (2) ex 1. Cor. 2, 12. 13. conf. & alia dicta idem confirmantia, ut 2. Cor. 13, 3. Matth. 10, 20. Act. 2, 4. (3) ex Matth. 5, 18. (4) qvia alias errores faciles forent in Scriptura, qvamqve adeo non haberemus indubiam.

Contra iidem. III. Et qvoad *puncta vocalia*. Qvod probatur (1) à ratione S. Codicis intrinseca, qvæ est sensum dare perfectum; sed sine vocalibus nullum habere possumus sensum, ut ex aliis lingvis patet: sunt enim vocales animæ literarum. (2) ex Matt. 5, 18. (3) qvia dantur qvædam voces, ubi solæ duntaxat vocales absqve consonantibus apparent. e. gr. 2. Reg 19, 31. 37. Judic. 20, 13. 2. Sam. 18, 20. (4) ex testimonio judæorum Rabbanitarum. (5) ex testimonio Judæorum Caraitarum, qvi tamen infensissimi sunt Traditionum Judaicarum hostes. IV. Qvoad *accentus*. Ex iisdem rationibus. Qvibus adde, qvod accentus sint causa mutationis vocalium. Hinc qvam antiqvæ sunt vocales, tam antiqvi qvoqve erunt accentus. V. Etiam qvoad *literas*, ita ut in Hebræo fonte præsentes maxime pro *primigeniis Mosaicis* & *Prophetiis* agnoscamus, *Samaritanas* vero rejiciamus. Qvod probatur (1) ex asserto Salvatoris. Matth. 5, 18. qvo procul dubio innuit jotam minimam esse literam, qvalis non est in Samaritana Literatura. (2) ex literis finalibus. e. gr. Jes. 9, 7. qvales Samaritani non habent. (3) ex Nehemiæ Zelo contra Asdotice loqventes. Neh. 13, 24. adeoqve probabiliter nec peregrinas literas in lege admisit. (4) ex pertinacia illa judaica, qvæ non facile qvid ab avita traditione introductum

ductum abrogat. Contra Nonnulli Philologi.

§. III. Ergo nulli dantur in Scriptura, vel barbarismi vel solœcismi. (1) Qvia ille stylus singularissimum præbet styli exemplum, & singulari DEI consilio ad singulares usus destinatus. (2) Qvia ab ipso Spiritu Sancto qvoad singulas voces, phrases ac constructiones sanctis DEI viris inspiratus. Contra iidem

§. IV. Viri θεόπνευστοι non scripserunt mere occasionaliter, sed ex mandato divino speciali. Exod. 17, 14. 34, 27. Jes. 8, 1. 30, 8. Jer. 30, 2. 36, 2. Habacuc. 2, 2. Apoc. 1, 11. 2 Tim. 3, 16. 2. Petr. 1, 21. 3, 2. Ephes. 2, 20. Contra Pontificii.

§. V. Viri sancti etiam ratione *efformationis literarum* sunt *causa ministerialis*, non principalis. (1) Qvia tota Scriptura qvoad res & verba est θεόπνευστος, ergo & qvoad rerum & verborum characteres. (2) qvia Prophetæ & Apostoli qvoad totum compositum i.e. qvoad animam & corpus fuere instrumenta Spiritus Sancti. (3) Qvia multi viri θεόπνευστοι ante inspirationem scribere non potuerunt. Contra Novatores.

§. VI. Viri θεόπνευστοι eo ipso, qvo fuerunt θεόπνευστοι, errare non potuerunt. Sic enim immediate à Spiritu Sancto fuere acti.

§. VII. Viri DEI sancti omnino sciverunt

se esse θεοπνεύστους, cum scripserint, non qvod ipsi voluerint, sed qvod voluit Spiritus Sanctus. Sciverunt autem hoc, modo à priori ex ipsa revelatione divina, sicqve ex singulari Spiritus Sancti testimonio procul dubio convicti fuere, afflatum hunc esse à DEO. Hinc aliqvoties ipsi testantur, se habere Verbum Domini in ore suo. 2 Sam. 23, 2. &c. Modo à posteriori, dum ex eventu procul dubio sciverunt, scripta sua esse divina.

§. VIII. Scripta illa, qvæ nomina Virorum sanctorum præfixa habent omnino sunt genuina, Fabulæ ergo sunt, qvando Pentateuchus non Mosi; sed vel Esræ, vel scribis publicis, vel Sacerdoti cuidam Samaritano adscribitur. Contra Rich. Simon, Theologi Batavi, Spinosa, Vandalen aliiqve.

§. IX. Forma Scripturæ dicitur sensus, de qvo regula vera: *unius dictæ unicus saltem datur sensus*, una vero ex falsis hæc est: *Verba tantum valent, qvantum valere possunt.* (1) qvia sensus est forma, jam vero unius rei unica duntaxat est forma, adeoqve cujuslibet dicti unus qvoqve tantum est sensus. (2) qvia alias Spiritus Sanctus argueretur æqvivocationis. (3) qvia alias Scriptura foret obscura. Contra Pontificii, Coccejani, aliiqve.

§. X. Et homo impius ex gratia Spiritus Sancti assistente potest habere sensum Scripturæ,

pturæ, modo regulas hermeneuticas recte applicet. Sicqve etiam de sensu potest esse certus, *externa* nimirum *certitudine*, ex applicatione recta regularum orta. Sic enim ἑρμηνεία refertur ad dona administrantia, 1. Cor. 12, 10. Qvæ etiam in homine impio esse possunt. Qvamvis non possit esse certus *certitudine interna*, qvæ ex gratia inhabitante oritur. Contra Pietistæ.

§. XI. Sensus mysticus ubi non est, nec est fingendus, & ubi nullus offertur, nullus contra analogiam fidei est obtorqvendus. Cum alias facile omnis Scripturæ Sacræ certitudo periclitetur. Contra Mystici.

§. XII De Idiomate biblico V. Noviqve. T. originali non tantum constat ex testimonio ecclesiæ, sed & ex testimonio Spiritus Sancti, & hinc *fide* etiam *divina* creditur, prob. (1) generali qvodam argumento: Qvæ lingva ecclesiæ V. T. tantum cognita fuit, ea scriptura Prophetica, & qvæ lingua ecclesiæ Nov. Testamenti propria fuit tempore plantationis ejus, ea Scriptura Apostolica exarata est. Atqvi Hebræa lingva Ecclesiæ V. T. tantum cognita fuit, & græca lingva Ecclesiæ N. T. propria fuit. Ergo Major probatur ex scopo, qvia propterea scribebatur Scriptura, ut legeretur. Es. 34, 16. Deut. 17, 18. Propterea nota ipsis lingva debuit consignari. conf. Jes. 29, 11, 12. Minor probatur ex Gal. 3, 28. Act. 6, 1, seq. 2 Cor.

2, 22. Philipp. 3, 5. Probatur (2) in specie V. T. Scriptum esse lingva Hebraica, ex Rom. 3, 2. qvia judæis concredita eloqvia DEI, ergo & eo sermone, qvem intellexerunt. Ratio consequentiæ, qvia in Scriptura passim mentio occurrit, talem fuisse lingvam, qvã intellexerunt omnes Judæi. conf. Rom. 10, 8. Deut. 30, 14. (3) ex Etymologiis, nominibus propriis, vocum & phrasium Emphasibus. (4) ex allusionibus, qvibus Hebræus codex abundat Hebræo idiomati propriis, v. gr. Gen. 27, 36. Amos 5, 5. &c (5) ex iis locis, in qvibus initiales versus literæ seriem Alphabeti Hebraici exacte referunt. v. gr. Ps. 25, 34. 37. 111. 112. 119. 145. it. Thren. 1. etc.

Contra Novatores.

§. XIII Stylus græcus N. T. non est *purus*, sed *Hellenisticus*, sumto vocabulo pro tali stylo, qvi *Hebraismis largiter est tinctus*. utpote qvod ex tot exemplis patet. Hebraismi autem hi non tam pro Barbarismis & solœcismis, qvam potius pro sermonis flosculis sunt habendi. Contra Philologi qvidam.

§. XIV. Evangelium Matthæi primitus non fuit scriptum *hebraice* (1) qvia procul omni dubio providentia divina non permisisset servato incerto interpretis textu originalem intercidere. (2) Qvia Matthæus non saltem plures voces Hebraicas ipse interpre-

terpretatur cap. 1, 23. cap. 27, 46. verum etiam qvia interdum septuaginta interpretes citat, qvod fuisset inconveniens, si Hebraice scripsisset. Neqve id commode potest tribui interpreti pro lubitu hic agenti. (3) Qvia de Evangelio illo Hebraico Matthæi nihil certi habetur. (4) Qvia Syrum interpretem usum esse exemplari græco ex collatione constat. (5) Qvia alias græci hodierni textus nulla foret auctoritas, qvod citra injuriam non est asserendum. Contra Nonnulli.

§. XV. Auctoritas Scripturæ nec ratione sui, nec ratione nostri dependet unice vel necessario à testimonio Ecclesiæ. Probatur (1) ex dicto Christi. Joh. 5, 34. (2) ex testimonio Samaritanorum. Joh 4, 42. (3) ex natura & conditione Scripturæ, qvæ (α) θεόπνευς. à DEO immediate dependens. (β) ante Ecclesiæ judicium auctoritatem jam habet. (γ) Sine testimonio Ecclesiæ sæpius innotuit (δ) veræ Ecclesiæ notitiam ipsa demum aperit &c. (4) ex natura & conditione Ecclesiæ, cujus testimonium est humanum, non primum nec perpetuum, nec solum, qvia & alia dantur criteria. de qvibus mox. Contra Pontificii, & Novatores.

§. XVI. Criteria illa, ex qvibus Auctoritas S. Sacræ innotescit, vulgo distingvuntur in *interna* & *externa*. *Interna* rursus distingvun-

gvuntur in *infallibilia, divinam fidem* gignentia; debent vero junctim sumi, testimonium enim qvod Scriptura de se ipsa dat non infallibilem gignit fidem, nisi mediante ipsa efficacia Spiritus Sancti a Scriptura inseparabili, eiqve naturali: Et in *probabilia*. Qvia *singillatim* considerata generant *probabilitatem; cumulate* vero certitudinem *moralem*.

§. XVII. Scriptura S. est verissima, nec unqvam sibi contradicit, uti ex ipsa Lectione constat. Hæcqve veritas una est, non duplex *literalis & spiritualis*. (1) qvia hæc distinctio Scripturæ est ignota. (2) dat Scripturæ duplicem formam. (3) separat in irregenitis vim à verbo; qvæ tamen essentialis ejus est conditio. (4) Sapit Calvinismum. (5) talis distinctio in tentationibus omne solatium adimit. Contra Pontificii, Qvackeri, aliiqve.

§. XVIII. Scriptura S. nunqvam loqvitur ad opinionem vulgi erroneam. (1) qvia omnis Scriptura est θεόπνευστος. (2) qvia scriptura est purus DEI sermo. Ps. 12, 7. (3) qvia est infallibilis. Ps. 18, 31. Ps. 19, 8, 9. Ps. 119, 140. Prov. 8, 8. 30, 5. 1 Petr. 2, 2. (4) qvia alias DEus mentiretur, qvod est contra Hebr. 6, 18. Contra Cartesiani.

§ XIX. Scriptura S. clara est & perspicia in illis, qvæ ad salutem creditu sunt necessaria. Deut. 30, 11, 12. Rom. 10, 8. 2 Petr. 1, 19. Ps. 19, 9. 119, 105. Contra Pontificii.

§. XX.

§. XX. Scriptura S. norma est & judex omnium controversiarum. Gal. 6, 16. Ps. 19, 5. Jes. 8, 20. Hebr. 4, 12. Joh. 5, 45. 12, 48. Contra Pontificii.

§. XXI. Scriptura ex Scriptura est interpretanda. 2 Petr. 1, 20. Rom. 12, 6. Qvare etiam omnes ad Scripturam ablegantur. Nec hic est circulus vitiosus, qvia probatio non fit eodem modo, uti sine vitioso circulo Aristoteles ex Aristotele, sol ex sole, DEus ex Deo probatur. Quo accedit, qvod qvilibet optimus verborum suorum interpres. Contra iidem.

§. XXII. Non ergo Philosophia, nec ratio humana, nec Pontifex Romanus potest dici Scripturæ interpres. Contra Calviniani, Pontificii, aliiqve.

§. XXIII. Scriptura S. maxime est efficax. Hæcqve efficacia non est nude moralis, sed effectiva & operativa Scripturæ S. naturalis & de essentia ejusdem. Rom. 1, 16. 1. cor. 1, 18, 21. Contra Weigeliani, Arminiani, Calviniani, Qvakeri, & Novatores.

§. XXIV. Scriptura S. non potest dici influere in effectum *virtute ignobiliori* respectu *virtutis nobilioris Spiritus S.* à qva demum debeat elevari. Una enim eademqve vis & efficacia est Scripturæ S. & Spiritus S., qvamvis dispar sit modus habendi. (1) qvia est mens ac consilium Domini. (2) qvia iidem effectus, qvi Spiritui S. adscribuntur in Scriptura S, etiam ipsi Scripturæ S. attribuuntur.

tur. Hinc nec sensus Spiritus S. à verbo DEI separari potest, nec Scriptura pro mero signo haberi, cum sit, ut jam diximus, ipse sensus DEI. Minus recte etiam instrumentum vocatur in rigore Metaphysico, in qvo definitio Instrumenti non citra insignem absurditatem applicari potest. Contra Novatores.

§. XXV. Efficacia hæc & virtus non est finita & creata dicenda, sed infinita. (1) qvia est potentia DEI. Rom. 1, 16. (2) qvia verbum Dei ratione formalis ab æterno fuit. Ephes. 3, 9. æternumqve manebit. 1 Petr. 1, 23, 25. Qvæ vis Scripturæ etiam extra usum competit. Qvia Spiritus S. nunqvam à verbo discedit. Jes. 59, 21.

§. XXVI. Scriptura S. ergo nullo modo litera mortua est dicenda, nec in homine impio. (1) qvia verbum DEI in se, cuicunqve etiam proponatur, se habet ut vivum. Hebr. 4, 12. (2) qvia impius occiditur per verbum. Es. 11, 4. Ergo verbum in ipso non est aliqvid mortui. Contra Pietistas.

§. XXVII. Scriptura S. est necessaria. (1) qvia sine ea ne aurora qvidem habetur. Jes. 8, 20. (2) qvia sine ea nullum solatium Ps. 119, 92. (3) qvia sine ea nulla est salus. Joh. 20, 31. Contra Qvakeri.

§. XXIIX. Nulli libri ex canone perierunt. (1) qvia nullo idoneo argumento id potest probari. (2) qvia obstat providentia divina. Contra Pontificii aliiqve.

§. XXIX.

§. XXIX. Fontes non sunt corrupti. Probatur. (1) à providentia DEI ejusqve promissione. Matth. 5, 18. (2) ab indefesso Masoretarum studio, qvi ipsas literas summa cum diligentia numerarunt, omniq; cura in eo fuere, ne aliqva corruptio fonti accideret. (3) si fons esset corruptus, id vel factum fuisset ante Christi incarnationem, vel post eandem, sed non ante, Christus enim & Apostoli tantum facinus non reticuissent, nec incautos nos ad Scripturæ lectionem ablegassent: Nec post incarnationem Christi corruptiones factæ ex malitia vel Judæorum vel Hæreticorum, qvia si id feciissent vel in illis locis tentassent, qvibus hodienum adhuc valde sese macerant.

Contra Pontificii Calviniani nonnulli, aliiqve.

§. XXX. Scriptura S. & à Laicis est legenda. Prob. (1) ex clarissima litera Joh. 5. 39. (2) ex exemplo Berhoensium. Actor. 17, 11. (3) qvia omnibus & singulis Prophetæ Christus & Apostoli prædicarunt, qui ergo Laici, qvi potestatem habuerunt audiendi, nec etiam potestatem haberent legendi? (4) ex praxi veterum Scripturam in vernaculam vertentium. Contra Pontificii.

§. XXXI. Vulgata versio non est authentica. (1) qvia non est divino afflatu, sed humana tantum ope adornata. (2) qvia multis scatet erroribus & vitiis. Contra iidem.

§. XXXII.

§. XXXII. Versio Lutheri Germanica licet non sit authentica; correctio tamen ejusdem intempestiva maxime est scandalosa, imprimis propter simplices, ut ex praxi constat. Contra Pietistæ.

CAPUT. III.

De

DEO.

§. I.

OBligamur DEO nostro ob naturam ipsius in verbo revelatam, qvam credimus.

§. II. Consideratur hæc natura DEI vel *absolute* citra respectum ad tres personas; vel *relate* cum respectu ad easdem. Utraq; consideratio hac vice hic conjungitur.

§. III. Nomen *Jehovah* nulli creaturæ competit, sed est nomen soli vero DEO essentiale & incommunicabile. (1) qvia id DEUS expresse sibi soli vindicat. Exod. 3, 14. & Jes. 42, 8. (3) qvia plane singulare hoc est nomen, & independentem infert essentiam (3) qvia hoc nomen tribuitur DEO in immediata oppositione DEI & creaturarum atqve idolorum. Exod. 34, 5. Mich. 4, 5. &c. (4) qvia nullibi in Scriptura

ra S. hoc nomen extra compositionem consideratum de creatura qvadam occurrit. Sed (5) ubivis soli DEO vindicatur. Vid. Loca Ps. 83, 19. Neh. 9, 6. Es. 37, 20, Contra Pontif. Calviniani, Novatores, aliiqve, Socin.

§. IV. Nomen DEI nomen est *essentiæ* non nudæ *potestatis*, sic enim usurpatur hoc vocabulum, cum de DEO ratione essentiæ considerato sermo est. Contra Socin.

§. V. Attributa DEI nec ab essentiâ, nec à se invicem realiter differunt. Qvia alias perfecta qvædam in DEO daretur compositio ac imperfectio.

§. VI. Non omnia qvæ de Deo prædicantur, prædicantur improprie, & per similitudinem. (1) qvia in multis non saltem nomen, verum etiam definitio DEO competit. (2) qvia plurimæ dantur perfectiones, non obstantes, qvo minus proprie de DEO prædicentur (3) qvia alias & ipse DEus improprie esse & existere dicendus esset. Qvod vero admodum absurdū. Contra Indifferentistæ.

§. VII. Natura s. essentia DEI non consistit in cogitatione. Qvia in effectu non consistit essentia & natura causæ. Contra Cartesiani.

§. VIII. Spiritualitas competit DEO proprie, nec materialitatis qvid sub se complectitur. Vid. Joh. 4, 24. ubi ex scopo Christi omnis omnino materialitas à vocabulo Spiritus excluditur, qvia inde adorationem in Spiritu, qvæ omnem omnino mate-

materialitatem excludit, qvocunqve etiam conceptu obveniat, deducit. Contra Carteſiani & Hobbes.

§. IX. DEus dicitur à ſe ipſo negative, non poſitive. Qvia alias DEus ſui ipſius foret cauſa & effectus, qvod de DEO tanqvam actu puriſſimo nullo modo dici poterit. Contra Carteſiani.

§. X. In æternitate DEI nulla eſt ſucceſſio temporis. (1) qvia hæc ſucceſſio repugnat conceptui noſtro de æternitate. Omnis enim duratio æſtimanda eſt ex natura entium qvæ durare dicuntur. Hinc & nulla enti perfectiſſimo niſi perfectiſſima eſt adſcribenda, qvæ eſt illa, qvæ limites non habet. (2) Qvia dies DEI à diebus noſtris longe ſunt diſtinctiſſimi. Job. 10, 5. Pſ. 90, 5. 2 Petr. 3, 8. (4) qvia DEus eſt immutabilis. Contra Socin.

§. XI. Immenſitas DEI ſe etiam extendit ad ſpatia imaginaria. (1) qvia DEus eſt immenſus, ita ne limitibus contineatur 1. Reg. 8, 27. Job. 11, 7, 8, 9. Pſ. 145, 3. Si vero DEus non eſſet etiam extra mundum, revera immenſitas ejus limitibus certis contineretur. (2) qvia DEus jam ante mundum extitit ſe ipſo immenſus. Ergo & extra eundem jam conditum erit Contra Cartheſiani.

§. XII. Immenſitas & omnipræſentia non ſunt unum idemqve attributum; ſed illa eſt attributum abſolutum, hæc reſpectivum:

vum: Illa attributum est ἀνενέργητον, hæc ἐνεργητικὸν: omnipræsentia restringit se ad creaturas; immensitas vero etiam extra mundum & ante mundum se extendit.

Contra Cartesiani.

§. XIII. DEus non solum virtute & operatione; sed & per essentiam est omnipræsens. (1) Qvia omnipræsentiæ conceptus sistit etiam conceptum existentiæ. Hinc ubi DEUS existit, ibi etiam est per essentiam. Adde scripturam Ps.139,7. &c.

§. XIV. Ergo & phrasis illa Biblica, qva DEUS dicitur interdum accedere ad homines interdum recedere non tantum de operatione sed & de aproximatione qvadam essentiæ intelligenda est. (1) ob emphases phrasium. Joh.14,23. Exod.20,24. 1.Cor. 6,19 Joh.15,1. (2) Ob exemplum approximationis in S.Cœna. Contra Novatores.

§ XV. Scientia DEI est l. visionis & intuitiva, qva DEUS omnia actu præterita præsentia & futura sive res re vera existentes, vel re vera extituras videt, & qvia horum numerus definitus est, definita dicitur, item libera: Vel simplicis intelligentiæ, qva res possibiles, etiam nunqvam futuras v.gr. filios Abrahæ ex lapidibus suscitandos cognoscit. Dicitur eadem qvoqve abstractiva, item naturalis & indefinita. Additur ab aliis & tertia, qvæ media vocatur, per qvam DEus non absolute, sed sub

conditione cognoscit, qvid futurum sit, si hæc vel ista conditio adimpleretur, & si ob defectum conditionis nunqvam hoc sit futurum. Sic noverat DEus Davidem si in urbe Kegila maneret, in manus Saulis traditum iri. 1. Sam. 23, 13. Sed sunt nonnulli ex Theologis, qvi hanc scientiam etiam referunt ad naturalem, qvia sunt, qvi eâdem abutuntur. Qvamvis, si modo recte explicetur, juxta alios retineri possit. Extendit se autem scientia DEI etiam ad futura contingentia, i. e. ad illa, qvorum non est determinata veritas, & qvorum ratio nulla, cur ita & non aliter contingat, reddi potest. (1) qvia per hanc notitiam expresse DEus à Diis fictitiis vult discerni. Jes. 41, 22. *Annuncient.* את אשר תשקרינה *Accidentia futura*, qva voce accidentia vel contingentia designantur. Gen. 49, 29. 44, 29. Jes. 26, 23. (2) qvia DEus expresse testatur se noviss talia, qvæ mera contingentia sunt. e. gr. Gen. 18. 18. (3) Qvia videt omnia nostra cogitata, aliaqve qvæ mera contingentia sunt. Ps. 139, 2, 21. (4) qvia vidit DEus, qvæ & si nunqvam eveniunt, eventura tamen fuissent, si hoc vel illud contigisset. 1. Sam. 13, 13. Matth. 11, 22. (6) idem & ex prophetiis constat. Contra Socin. Ex qvibus & id simul fluit, non esse omnem DEI scientiam visionis. Cum Scientia DEI se eo usqve extendat, qvousqve se extendit

divina

divina potentia. Jam vero hæc se latius extendit, qvam ad res determinate futuras. Contra Cartesiani.

§. XVI. Justitia DEO ita essentialis est, ut peccatum non possit impune relinqvere. Prob. (1) ex Rom. 2, 5. Gen. 18, 25. (2) a morte filii DEI. (3) ab immutabilitate Dei. Contra Socin.

§. XVII. DEus non potest contradictoria, nec fallere, qvia alias DEus re vera mutaretur. Contra Cartesiani.

§. XVIII. Mysterium SS. Trinitatis ex natura non potest demonstrari. (1) ex Matt. 11, 27. (2) ex defectu firmæ demonstrationis. Contra Calvinian. qvidam aliiqve.

§. XIX. Mysterium Trinitatis etiam in V. T. creditu fuit necessarium absolute. (1) qvia verum habuerunt DEI cultum, ergo etiam Trinitatem credere debuerunt. juxta. Joh. 5, 23. & 1. Joh. 2, 23, seq. (2) qvia eodem modo salvati sunt, qvo nos in N. T. Actor. 4, 12. 15, 11. (3) qvia ab hoc articulo fundamentum pendet salutis. Ergo & Mysterium hoc ex libris Veteris Testamenti sat solide potest probari, modo indefinite. Gen. 19, 24. modo determinate per ternarium numerum. Jes. 6, 3. Ps. 33, 6. modo & ex ipsis nominibus occurrentibus Ps. 2, 7, Pvov. 30, 4 Ps. 51, 13. Es. 63, 10. &c. Contra Syncretistæ.

§. XX. Mysterium Trinitatis in primi-

tiva ecclesia per disciplinam Arcani non fuit occultatum. Qvia nullo idoneo argumento ex antiqvitate probari id potest.

Contra Schelstrate.

§. XXI. Vocabulum personæ recte explicatum & à personis humanis & angelicis distinctum ex hoc articulo non est rejiciendum. (1) qvia est biblicum. Hebr. 1,3 (2) qvia descriptio optime hic convenit (3 Qvia ab antiqvitate & à vulgo est receptum. Contra Qvakeri, aliiqve Anti-Trinitar.

§. XXII. Tres personæ minus commode dicuntur tres res, qvia non differunt ut res & res. Sic neqve etiam commode dicuntur Tres mentes infinitæ. Qvia res absoluta & communicabilis in divinis non potest triplicari. Contra nonnulli in Angliâ.

§. XXIII. Tres personæ differunt inter se realiter. Est autem realis distinctio h. l. non ea, qva differt aliqvid ut res & res; sed ea, qva distingvuntur qvædam vere citra mentis fictionem. Probatur thesis (1) ex Joh. 1,2 ubi particula apud non localem sed personalem designat distinctionem. (2) ex Joh 5,32. & 37. 8,17. (3) ex filii incarnatione, Spiritus S. visibili effusione, filii & Spiritus S. missione.

§. XXIV. Mariam qvartam vocare DEitatis personam magna est blasphemia cum non qvatuor; sed tantum tres sint testantes 1. Joh. 5,7. Contra Burrhi.

§. XXV. Personæ sibi invicem sunt

ομοούσιος, 1. Joh. 5, 7. Joh. 14, 10. 17, 21. & æqvales potentia & dignitate. Joh. 16, 15. 5, 19. Nulla ergo hic datur prærogativa aut dependentia, qvæ cum hactenus dictis stare nullo plane modo potest. Contra Arminiani aliiqve.

§. XXVI. Filius DEUS præextitit ab omni æternitate. Joh. 1, 1. & ante Mariam. Joh. 8, 58. verusqve & summus est DEUS. Qvod probant Theologi (1) ex nominibus Jes. 23, 6. 1. Joh 5, 20. &c. (2) ex attributis æternitatis. Es. 9, 6. Prov. 8, 22. Mich. 5, 6. Immensitatis. 1. Reg. 8, 27. omnipotentiæ Apoc. 1, 8. Jes. 9. 6. omniscientiæ. Coloss. 2, 3. omnipræsentiæ Matth. 28, 20. &c. (3) ex operibus Spirationis Spiritus S. creationis, conservationis, redemtionis &c. (4) ex cultu. Jes. 45, 23. Joh. 5, 23. Matth. 28, 19. &c. Contra Ariani, Socinian. Arminiani, aliiqve.

§. XXVII. Generatio filii DEI est (1) propria proprietate scil grammatica, non physica Ps. 2, 7. à proprietate enim literæ hic non recedimus. (2) est essentialis Ps. 2, 7. Hebr. 1, 3. (3) est æterna. Ps. 2, 7. Mich. 5, 2. Prov. 8, 22. Contra Socin. &c.

§. XXVIII. Generatio filii DEI non est nuda qvædam coexistentia ejus æterna cum patre in essentia divina, sic enim emphasis termini altiora sapit. Contra Roëll.

§. XXIX. Generatio minus commode dicitur fieri per intellectum divinum & spiratio per voluntatem divinam. (1)

qvia phrasis non est biblica. (2) ex absurdo, qvia sic & Spiritus S. habebit filium & Spiritum S. qvia habet intellectum & voluntatem. Contra Scholast.

§. XXX. Antiqviores Patrem dixerunt principium filii, nec adeo absurda est definitio principii hic applicata. Qvamvis contra à termino Principiati abstinere Theolog. malint.

§. XXXI. Generatio filii DEI non tollit ipsius αὐτοθεότητα (1) qvia divina essentia est una numero, omnibusqve personis Trinitatis communis. (2) ex similibus phrasibus qvando dicitur αὐτοαγατος, αὐτυ πόςατος &c. (3) ex more loqvendi antiqvo, sic enim loqvitur Origines, qvi vocis auctor putatur. Item Cyrillus aliiqve.

§. XXXII. Spiritus S. non est idem ac cœtus angelorum. (1) qvia ut una describitur persona. 1. Cor. 12, 4. Eph. 4, 3, 4, 5. (2) qvia contradistingvitur angelis. 1. Petr. 1, 12. Contra Sand.

§. XXXIII. Spiritus S. est persona. (1) qvia ipsi competunt actiones, qvæ sunt suppositorum. Ut consolari, testari, docere, &c. (2) ex heterosei generis, qvando scilicet vocabulum πνεῦμα, qvod alias neutrum est, construitur cum Masculino ἐκεῖνος, ἄλλος, παράκλητος. Distinctam vero à patre & filio esse personam constat. (1) ex Joh. 14, 16. (2) ex apparitione

ne Jordanica. Matth. 3, 16. (3) ex Missione (4) ex effusione Pentecostali. Contra Socin. aliiqve.

§. XXXIV. Spiritus S. est verus & summus DEus. Prob. (1) ex nominibus. 2 Sam. 23, 3. collato cum v. 2. Actor. 5, 3. 4. &c. (2) ex Attributis, æternitatis, Jes. 40, 13. omnipotentiæ. 1. Cor. 12, 11. omniscientiæ. 1. Cor. 2, 10. omnipræsentiæ Ps. 139, 7. (3) ex operibus creationis. Ps. 33, 6. Gen. 1, 2. conservationis. Ps. 104, 30. Ps 57, 16 miraculorũ productionis. Act. 10, 38. (4) ex cultu. Matt. 28, 19. 2 Cor. 13, 13. Apoc. 1, 4. Contra iidem.

§. XXXV. Spiritus S. à Patre & Filio procedit. prob. prius (1) expressis verbis. Joh. 15, 20. (2) ex Locis parallelis Apoc. 22, 1. Dan. 7, 18. (3) phrasibus similibus. 1. Cor. 2, 11. Jes. 57, 15. (4) ex nominibus Spiritus S. qvando dicitur Spiritus Patris. Matt. 10, 20. Spiritus oris Domini. Ps. 33, 6. &c. (5) ex missione. Posterius probatur (1) à λήψει Spiritus S. de qva Christus Joh. 16, 14 qvæ essentiæ communicationem infert, qvia essentia & scientia Spiritus S. non realiter differunt. (2) ex ὁμοουσίᾳ filii cum patre. Joh. 16, 15. (3) ex missione. Joh. 15, 26. 16, 7. (4) è denominatione Spiritus filii. Rom. 8, 9. Gal. 6, 6. &c. Contra Græci.

§. XXXVI. Processio est articulus fidei. Qvia sine ea realis distinctio Spiritus S. à filio dari neqvit. Contra nonnulli.

§. XXXVII. Spiratio Spiritus S. est passiva,

grammatice scil. non physice, æqve uti generatio filii DEI commode sic dicitur.

Contra nonnulli.

§. XXXVIII. SS. Trinitas omnino pertinet ad conceptum veri DEI. (1) qvia nemo novit Patrem nisi & norit filium Joh. 5, 23. 1. Joh. 2, 23. (2) qvia conceptus veri DEI talis debet esse qvemadmodum eum Scriptura S. exhibet. (3) qvia propterea Judæos & Mohamedanos idololatras vocamus, qvia Trinitatem non agnoscunt.

CAPUT IV.

De *Creatione.*

§. I.

OBligamur DEO ob opera ejusdem potentiæ, in specie etiam creationem, qvam in Scriptura revelatam credimus.

§. II. Creatio mundi qvoad dependentiam & productionem ex nihilo spectatam, licet ex natura constet. Rom. 1, 28. & qvoniam alias existentia DEI ex creaturis ab effectu concludendo ad efficientem non posset probari: Qvoad modum tamen & ordinem nonnisi ex revelatione Mosis constat, qvia nullum argumentum ex ratione pro hac sententia adduci poterit.

§. III.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025697472/phys_0068
DFG

§. III. Causa creationis est solus DEUS unitrinus. Qvia creatio est productio entis ex nihilo à non esse ad esse, ad qvam requiritur potentia, & virtus infinita.

§. IV. SS. Trinitatis personæ non fuere causæ Sociæ creationis. (1) qvia id qvod agit est una tribus personis communis Deitas. (2) qvia in causis Sociis partim est diversitas causalitatis, ubi autem diversa causalitas, ibi diversæ causæ, diversa entia: Partim partialitas & particularitas influxus. unde oritur finitudo & divisio operationum; qvorum neutrum hic in divinis applicari potest.

§. V. Chaos illud creatum non poterit dici Cometa. Partim qvia hoc nullibi asserit Scriptura, ex qva unice modum qvod attinet probare omnia debemus: Partim qvia nec definitio Cometæ hic locum habet. Contra Neo-Physici.

§. VI. Chaos creatum non solam tantum terram, sed corpora qvoqve cœlestia sub se fuit complexum. Gen. 1, 1. Contra iidem.

§. VII. Mundus non potuit creari ab æterno. (1) qvia sic DEO aliqvid coæternum statueretur. (2) qvia est contradictio in adjecto. Emergere enim debuit mundus è nihilo, ergo dandum primum momentum non existentiæ, item momentum, qvo debuerit cœpisse; qvæ vero cum æternitate stricte sic dicta conciliari neqveunt.

§. VIII. Ante sextiduum nihil est creatum, qvia omne antesextiduanum phrasi scripturæ est æternum. Nec datur præexistens qvædam materia, ex qva mundus creatus, utpote qvi ex nihilo factus. (1) ex clarissima litera. Rom. 4, 17. (2) qvia in historia creationis nullius præexistentis materiæ fit mentio. (3) qvia materia illa præexistens aut fuit creata aut increata. Si increata DEO fuisset coæterna, qvod absurdum: Si creata, vel ex aliqvo, vel ex nihilo fuit: Si ex aliqvo, eadem qvæstio rursus occurret & processus dabitur in infinitum, à qvo tamen natura abhorret. Si autem ex nihilo ~~aliqvo~~, tum non præextitit.

§. IX. Creatio non est facta juxta regulas artis vel leges motuum mechanicas. Qvia creatio opus est omnes regulas artis & motuum leges longe transgrediens, nec qvantum actum concernit, creatio fuit motus instar successiva, sed instantanea motum excludens. Contra Neo-physici.

§. X. Mundus non in sex annis sed sex diebus est creatus. teste creationis historia. Contra iidem.

§. XI. Creatio ratione actus fuit instantanea, ratione temporis successiva, teste iterum creationis Historia.

§. XII. DEus utique plures mundos potuisset creare. (1) qvia id potentiæ DEI absolute non repugnat (2) nec repugnat ex parte

parte mundi. (3) nec repugnat ex parte nostri conceptus. Contra Cartesiani, juxta platonem

§. XIII Nulla datur anima mundi. (1) repugnat enim mundi definitio. Mundus enim nihil aliud est qvam Systema & collectio creaturarum, qvarum aliæ animatæ, aliæ inanimatæ sunt. (2) qvia nec Scriptura, nec sana philosophia talem animam mundi novit. (3) à remotione animæ sensitivæ vegetativæ ac rationalis. Sic enim mundus non habet (α) animam sensitivam, nec vegetativam, qvia sic omnia qvæ in mundo sunt viverent, qvod est contra Scripturam, qvæ res in mundo distinguit in viventes & non viventes, nec (β) ei competit anima rationalis, sic enim seqveretur mundum habere intellectum & voluntatem, esse personam, &c. Qvæ omnia sunt absurda. Contra Platonici, & Neo-Physici.

§. XIV. Mundus non potest dici indefinitus vel infinitus. (1) qvia attributum infinitatis soli DEO competit. (2) qvia mundus omnino habet limites. (3) qvia constat ex partibus finitis & creatis. &c. Contra Cartesiani.

§. XV. Dantur aqvæ supra cœlestes. prob. (1) ex clarissima litera. Gen. 1, 7. (2) qvia nullum meteoron est creatum (3) qvia nubium causa sol est attrahens vapores ex terra, ex qvibus generantur nubes jam vero sol demum qvarto die creatus est; aqvæ

vero

vero supra cœlestes jam creatæ erant die secundo. Non ergo aqvæ supra cælestes poterunt explicari de nubibus (4) qvia nubes demum cœperunt post hexaemeron. Clarissimus est Locus. Gen. 2, 5, 6. Contra Calviniani & nonnulli alii.

CAPUT V.

De *Angelis.*

§. I.

OBligamur DEO ob concessam custodiam angelicam, qvam in Scriptura revelatam credimus.

§. II. Dantur re vera Angeli. Qvorum existentia ex lumine naturæ argumentis nonnisi probabilibus probatur, qvæ sunt (1) ab experientia & effectibus in Energunenis & correptitiis (2) ab ordine ac perfectione hujus universi. Dantur nimirum substantiæ materiales completæ & incompletæ. Probabile ergo est dari qvoqve substantias Spirituales completas, qvia dantur incompletæ, animæ scilicet, maxime qvia faciunt ad perfectionem universi. Apodyctica vero argumenta sola Scriptura S. suppeditat.

§. III.

§. III. Angeli non sunt æterni, verum in tempore sextidui à DEO creati. Prius constat ex Ps. 104, 4. Col. 1, 16. Gen. 2, 1. collato cum Gen. 32, 1. 2 Reg. 6, 17. Ps. 103, 21. Luc. 2, 13. Posterius, qvod nimirum in tempore sextidui sint creati sic probo: Angeli aut sunt creati ante sextiduum, aut in sextiduo, aut post sextiduum. Sed non creati sunt ante sextiduum, qvoniam stylo Scripturæ omne antemundanum æternum est; nec post sextiduum, qvia DEus septimo die qvievit ab omni opere. Gen. 2, 2. Ergo omnino intra sextiduum fuere creati. Qvo autem præcise die id factum ex Scriptura S. non liqvet. Contra Philosophi antiqviores.

§. IV. Angeli plane nullam habent materiam, sunt enim Spiritus. Spiritum vero nihil materialitatis habere jam supra probatum dedimus.

§. V. Angelorum essentia non consistit in cogitatione. (1) qvia cogitatio est actio; sed in actionibus consistere essentiam absurdum est. Qvam absurdum enim est cogitationem esse substantiam, tam absurdum qvoqve est substantiam esse cogitationem. (2) qvia cogitationes angelorum sunt variæ ac multiplices; angeli vero substantia est tantum unica. (3) qvia cogitationes angeli non per se subsistunt. Contra Cartesiani.

§. VI.

§. VI. Hinc nec licet dicere, qvod angeli nihil aliud possint, qvam cogitare & velle, qvodqve adeo opera eorum & effecta procedant per meram cogitationem & voluntatem. Nam (1) operari per meram voluntatem & jussionem potentissimam solius DEI est perfectio. (2) Voluntas angeli non est Immediatum principium effectivum operationum ad extra. Alias enim ejus voluntas qva voluntas foret potentia, & posita voluntate angeli poneretur effectus volitus, immo qvicqvid vellet, posset angelus, sicqve re vera foret omnipotens. (3) Operationes angelorum, e. gr. prostratio primogenituræ in Ægypto &c. non commode cogitationi poterit adscribi.

Contra iidem.

§. VII. Angelus est in ubi, non per circumscriptionem ut corpora, sed per designationem vel definitive, cum ita sibi desinet aliqvod spatium ibi, non in aliis spatiis, nedum ubiqve sit. Nec est in ubi tantum ratione operationis, sed & ratione essentiæ. (1) qvia si anima potest esse per suam essentiam in ubi, qvidni & angelus? (2) qvia Angeli non sunt immensi, sed finiti, qvidni ergo vere dicamus esse definite in ubi, hic non illic, in hoc mundo, præsertim cum in mundo à DEO creati fuerint. (3) si angelus est alicubi per suam operationem, ergo etiam per essentiam, qvæ operationis

tionis illius est principium. Nam operari supponit esse. (4) urgeri qvoq; possunt apparitiones angelorum in assumtis corporibus, eorumq; per illa operationes. Contra iidem.

§. VIII. Angeli non possunt esse in pluribus ubi simul. Quia alias angeli forent omnipræsentes, & per consequens immensi, qvod tamen solius DEI est. Contra iidem.

§. IX. Angeli non habent peculiare domicilium. (1) qvia Scriptura nullius ejusmodi domicilii meminit, dicuntur qvidem διαμήριον reliqvisse; sed illud locale aut corporale fuisse probari neqvit. (2) Angeli sunt Spiritualis naturæ, ideo domicilio tali non opus habent. (3) in consummatione seculi peribunt cœli materiales cum terra universa. Contra Calviniani & Nicolai.

§. X. Angeli intelligunt per species intelligibiles. Cum solus DEus omnia in essentia sua intueatur sine speciebus. Nec cognoscit angelus multa simul & una intellectione; sed distincte & per diversos conceptus. Neqve tantum per apprehensionem simplicium; sed etiam componendo ac dividendo, immo etiam discurrendo & unum ex alio concludendo. Qvamvis enim intellectus angeli perfectior sit humano, finitus tamen est. Contra Scholastici.

§. XI. Angeli non sciunt futura contingentia, nec secreta cordis humani, nisi ex revelatione divina, vel à posteriori, vel tantum

tantum probabiliter à priori. Horum enim infallibilis notitia soli competit DEO, & argumentum est omniscientiæ,

Contra Scholastici, & Cartesiani.

§. XII Angeli in assumptis corporibus actiones vitales non exercuerunt, qvamvis his similes præstent, qvæ tamen vere vitales non sunt. Angeli enim corpora hæc assumta non informant, proindeqve nec in illis vita qvædam est substantialis animalis, & per consequens nec actio qvædam vitalis.

Contra Scholastici.

§. XIII. Angeli sunt creati ad imaginem DEI. (1) qvia Scriptura eam illis non denegat. (2) qvia essentialia imaginis divinæ in Scriptura angelis tribuuntur, sapientia nempe & sanctitas. &c. 1. Sam. 24, 9. 2 Sam. 14, 20. Ps. 104, 4. 2. cor. 11, 14. Ex qvo haud obscure colligitur ad imaginem DEI eos esse conditos. (3) qvia Scriptura testatur, nos in perfecta restauratione imaginis divinæ fore ισαγγέλους. (4) qvia dicuntur filii Dei. Job. 1, 6. Ps. 8, 6. conf. Hebr. 2, 9 Calov. in Systemate. T. 4. p. 594. seq, Contra Nonnulli.

§. XIV. Angeli non sunt creati in puris naturalibus. (1) qvia hic status purorum naturalium gratiæ expers purum putum est figmentum Scholasticorum, & in Scriptura nullum habet fundamentum. (2) Qvia creati sunt angeli in veritate. Joh. 8, 44. Ergo omnino status ipsorum fuit status

gratiæ

gratiæ. (3) qvia alias Deus foret causa peccati. Contra Pontificii. Scholast. et Rivatos.

§. XV. Angeli boni confirmationem in bono I. non meruere (1) qvia ad meritum reqviritur, ut opus, qvo meretur qvis, sit proprium non alienum, sed Angeli sine gratia DEI non perstitere in veritate; sed gratia tum habituali tum actuali. (2) reqviritur ut opus illud non sit debitum. Sed Angelorum obedientia DEO erat debita ob creationem. (3) reqviritur, ut sit opus illud proportionatum. Sed inter obedientiam angelorum & præmium cœlestis beatitudinis non datur proportio. (4) confirmatio angelorum accepta ferenda est gratiæ divinæ. Ubi autem gratia est, ibi non est meritum Rom. 11, 6. Nec II. merito Christi eam acceptam referunt (1) qvia Christus semen angelorum non assumsit. Hebr. 2, 16. Ita nec iis qvicqvam meruit. Et præterea Christus pro lapsis iisqve hominibus tantum satisfecit; Angeli boni vero nec homines sunt, nec lapsi sunt. Contra Pontificii.

§. XVI. Angeli non sunt adorandi (1) qvia nullum ejus rei habemus mandatum. (2) Solus DEUS tantum adorandus est. Matth. 4, 10. (3) Qvia ἀγγελολατρία expresse prohibita est. Coloss. 2, 18. (4) Qvia ipsi Angeli cultum hunc deprecantur. Apoc. 19, 9. c. 22, 8. (5) qvia in Antiqvitate cultus hic semper fuit damnatus, & qvidem

in *Cerintho*, in *Cajanis* & *Angelicis*. Imo expresse *Concilium Laodicenum* can. 35. cultum hunc anathemate ferit ita: *Non oportet Christianos derelicta Ecclesia abire, & ad angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere. &c.* Qvi locus ita exercuit Pontificios, ut nesciant, qvi se expediant. Hinc qvidam in canone E. mutarunt in U, & pro: *angelos* legerunt: *angulos*, qvasi canon agat *de iis, qvi angulos colunt.* Qvemadmodum ita exprimit *Caranza* in *summa conciliorum p. 136.* Sed frustra, cum *græca editio*, *Theodoretus*, *Occumenius*, aliiqve legant: ἀγγέλους. Et præterea in græco nulla plane huic voci cum angulo cognatio. Qvo etiam factum, ut *Franciscus Sylvius* in *Nova Caranzæ editione* in suis *additionibus* ad eandem Literam U. iterum mutaverit in E. h. m. *pro angulos qvod ante legebamur & Bar. & alii, restituimus angelos.* Qvamvis explicet canonem de *angelis falsis*; sed absqve fundamento. Ex his qvoqve jam patebit, qvod nec templa in honorem Angelorum sint erigenda. Eqvidem nominare templa ab angelis & sanctis memoriæ ac differentiæ causa, citra absurditatem licebit: Thesis autem nostra intelligitur de tali erectione, qvæ fit cultus gratia; sic enim soli DEO is debetur.

Contra Pontificii.

§. XVII. Angeli sunt qvidem nostri custodes, minus recte autem vocantur nostri mini-

ministri vel servi. Non enim superior servit minori. Nec omnis qvi alteri præstat utilitatem, vel ipsum custodit, statim ejus servus est. Qvia sic & Reges & Principes subditorum suorum servi forent.

§. XVIII. Angeli qvamvis in genere juxta A. C. pro fidelibus orent, non tamen statuere possumus, qvod speciales preces ac desideria piorum ad Deum deferant; multo minus meritis ac suffragiis suis illis pondus concilient. Qvia (1) De hoc Angelorum officio nihil habetur in Scriptura. (2) Soli Christo hoc vindicatur. Rom. 8, 34. 1. Joh. 2, 2. Hebr. 7, 25. c. 9, 24. (3) Distingvitur aperte Christus in hoc officio ab angelis. Apoc. 8, 3. (4) qvia angeli non omnes preces ac desideria audiunt vel cognoscunt, qvod ex scriptura probari neqvit. Contra Pontificii.

§. XIX. Non habet qvilibet homo nec qvælibet Regio suum peculiarem angelum. Qvia de eo in Scriptura nihil habetur & homines sæpius plures habent tutelares, prout nempe DEO angelorum Domino visum est. Gen. 32, 2. 2. Reg. 2, 11, c. 6, 17. Luc. 16, 22. &c. Contra iidem.

§. XX. Sunt etiam ordines inter angelos. Eph. 1, 21. Col. 1, 16. Qvi vero & qvales sint incertum est, ob silentium Scripturæ. Contra iidem.

§. XXI. Dantur etiam angeli mali & spe-

ctra. Qvod probatur (1) ex tot Scripturæ assertis. (2) ex effectibus ipsorum in Energumenis. (3) ex lucta cum satana (4) ex apparitionibus. Contra Balthas. Bekker.

§. XXII. Diabolus omnino operari potest etiam in corpus. Ut ex ipsa experientia satis constat. Contraria Hypothesis qvasi Spiritui nulla cum corpore intercedat cognatio falsa est. Ut vel ex eo patet, qvod anima ceu Spiritus cum corpore sit unita & per illud agat. Qværitur etiam: An Dæmon immediate operari possit in mentem aut voluntatem hominis? Respondent Theologi, qvod physice eqvidem Diabolus in intellectum ac voluntatem operari neqveat, ita ut faciat intelligere & velle, ideoqve non immediate operatur in intellectum facientem, qvi solus intellectionem elicit, nec recipit intellectus patiens species intelligibiles ab illo; sed à solo intellectu agente. Ita & in voluntatem tantum agit remote, proponendo & svadendo objectum appetibile. Non tamen videtur obstare qvicqvam, qvo minus Dæmon intellectui species qvasdam proponere ac imprimere possit, cum homini etiam suggerat non raro mala, & angelus alius alteri conceptus suos communicare possit, qvidni etiam animæ?

Contra idem aliiqve.

§. XXIII. Datur etiam obsessio qvædam diabo-

diabolica corporalis. Qvod probatur (1) ex clarissimis exemplis Biblicis imprimis N. T. ubi expresse homines dicuntur acti à Dæmone. (2) quia expresse Christus & Apostoli dicuntur expellere diabolos. (3) ex effectibus, qvi sane naturali morbo adscribi neqveunt. Contra idem aliiqve.

§. XXIV. Qvodnam primum angelorum malorum fuerit peccatum ex Scripturâ determinari neqvit, probabilis interim videtur affectata DEI formitas ex collatione tentationis, qva protoplastos aggressus est. Gen. 3, 5.

§. XXV. Angeli mali nullam spem habent salutis, sed pœnæ ipsorum erunt æternæ sine fine. Probatur (1) ex aperta Scripturæ litera. ep. Judæ. v. 6. Matth. 25, 41. (2) à silentio Scripturæ, quæ nullibi dicit, quod spem diabolus habeat. (3) qvia diabolus nullum habet redemtorem, qvi pro ipso satisfecerit. (4) qvia æterni cruciatus æternis gaudiis opponuntur. (5) ex autoritate A. C. Vid. Artic. 17.

Contra Neo-Evangelistæ.

CAPUT VI.

De

Providentia.

§. I.

OBligamur DEO ob curam illam nostrum, qvam habet. Et hanc in scriptura revelatam credimus.

§. II. Datur omnino Providentia Divina. Ex lumine naturæ illam jam supra probavimus. Nunc & ex Scriptura eam creditam asserimus. Vid. Loca. Ps. 139, 7, seq. Joh. 5, 17. Matth. 6, 26. Actor. 17, 25, 28. Hebr. 1, 3. &c. Contr. Athei, Epicuræi, aliiqve.

§. III. Objectum Providentiæ Divinæ sunt etiam res minimæ, nec culicibus & pulicibus exceptis. Qvod probatur (1) ex clarissima Scripturæ litera. Deut. 25, 4. 1. Cor. 9, 9. Ps. 146, 9. Matth. 6, 30. c. 10, 29, 30. &c. (2) ex creatione DEI. Qvid qvod si enim Majestati divinæ nihil decessit, cum minimas has res crearet, nec Majestati ipsius qvicqvam decedet, si easdem qvoqve conservet. Æqve uti soli nihil decedit ejusqve splendori, si æqve ad hominis, leonis, aqvilæ, ac ranarum generationem concurrit. Contra Hieronymus.

§. IV.

§. IV. Datur qvidem vitæ terminus Job. 14, 5. Ps. 139, 16. Sed non absolute illum fatalem esse, probatur (1) ex divinis remunerandæ pietatis promissionibus; impietatis vero vindicandæ comminationibus. Vid. Exod. 20, 12. 23, 25. Deut. 4, 14. Ps. 41, 13. Ps. 91, 16. Prov. 3, 16. Ephes. 6, 2. Deut. 4, 25. Ps. 55, 24. Ps. 104, 35. Ps. 109, 8. Prov. 10, 27. c. 30, 17. Es. 1, 20. &c. (2) ex divina præscriptione pœnarum facinorosis infligendarum. (3) ex inductione exemplorum, eorum scilicet, qvi ex conditionis alicujus vel observatione, vel neglectu, vitam vel prolongarunt vel abbreviarunt, e. gr. David in Kegila. 1. Sam. 23. Lothi uxor in Sodom. Gen. 19, 26. (4) ex precibus piorum pro proroganda vita, e. gr. Pauli pro Epaphrodito. Philip. 2, 27. Davidis pro filio. 2. Sam. 7, 22. Eliæ & Jonæ. 1. Reg. 19, 5. Jonæ 4, 8. Hiskiæ. Es. 38. &c. *Contra Calviniani.*

§. V. Concursus DEI est (1) immediatus, *immediatione virtutis & suppositi.* Si enim DEus cooperatur immediatione virtutis; ergo vel maxime immediatione suppositi. Qvia virtus & suppositū in Deo identificantur. Qvod argumentum est *Trigosi*, qvo in eadem causa *Cajetanum* convicit. Qvibus adduntur adhuc alia. Qvando e. gr. DEus ut Pater dicitur generare pluvia. Job. 38, 28. Qvando dicitur nos manibus suis plasmare. Job. 10, 8. Qvando charactere supp-

positi ἐγὼ operari se dicit. Joh. 5, 17. in qvo velut in supposito movemur. Act. 17, 28. &c. Contrâ & Pajoniani. Sed tamen (2) non ubivis concursus hic est specialis, sed generalis, indifferens, & indeterminans. Sicut sol ad omnium rerum generationem calore suo concurrit, nec tamen calor hic facit, ut qvod generatur necessario sit canis vel eqvus: Hæc enim species non est à sole, sed ab eqvo vel cane parente tanqvam causa particulari, qvæ concurrit effectum ad hoc tale esse determinando. Sic pirus producit pirum, eqvus eqvum, canis canem. Jam DEus concurrit ad res omnes priori non posteriori modo, scilicet ut causa universalis, non ut particularis, qvoniam alias DEus foret causa peccati. Contrâ Calvin.

§. VI. Omnipræsentia in sensu biblico non saltem per operationem; sed & per adessentiam describenda est. Minus recte ergo describitur per voluntatem DEI omnia sustentantem & gubernantem, adeo ut nihil aliud sit, qvam efficacissima DEI voluntas omnia sustentans & gubernans.

Contra Cartesiani.

§. VII. DEus qvidem concurrit ad omnes nostras actiones, non tamen ut propterea causa secunda omni causalitate excludatur. Adscribuntur qvidem DEO omnia opera nostra Act. 17. v. 28. qvia nempe per ipsum fit ut operari qveamus. Ast actiones specificæ

cificæ nullæ ei adscribuntur, nisi qvæ vel naturæ legibus à DEO positis fiunt, vel per Spiritum Gratiæ, qvo convertimur, qvia ad illius Specificationem non qvidem determinat actu irresistibili, efficit tamen.

Contra Scholastici & Cartesiani.

§. VIII. DEI Providentia, & præscientia non necessitat res. (1) qvia DEus etiam præscit mala & falsa, qvæ tamen non vult fieri. (2) Qvia DEus etiam scit nunqvam extitura. E. non omne qvod præscit, necesse fit. (3) qvia alias in mundo nihil fieret contra voluntatem DEI, qvod contra tot Scripturæ loca. (4) qvia alias nulla foret libertas voluntatis Angelorum & hominum, qvæ sic ut agentia naturalia sese haberent. (5) seqveretur alias creaturam non agere posse qvicqvam melius qvam agit, nec plus boni facere qvam facit, nec plus mali omittere, qvam omittit. (6) Seqveretur & alias DEum nihil conditionaliter velle. Contra 1. Sam. 23. v. 10. Matth. 11. v. 21. Jer. 8, v. 7. Jon. 3. v. 4. 5. (7) qvia & alias aperte DEus foret causa peccati. *Contra Stoici, & Calviniani.*

§. IX. Datur fatum Theologicum; sed non absolutum. Ut jam ex dictis constat.

Contra iidem.

§. X. Providentia DEI sese etiam extendit ad res malas, non tamen ut sit causa peccati.

Hinc Theologi distinguunt inter materiale & formale actionum malarum, dicentes: concurrere DEum non ad *hoc*; sed ad *illud* saltem. Qvamvis & alii Theologi loqvantur, DEum ad *materiale* non concurrere; sed sumunt tum *peccatum* aliter, nempe non in prædicamento *qvalitatis*, sed in prædicamento *relationis*. Sive ut alii explicant, loqvuntur de materiali non *remoto*, sed *proximo*.

CAPUT VII.

De

Vita & morte æterna.

§. I.

OBligamur DEO nostro ob conferendam vitam & avertendam mortem æternam.

§. II. Qvamqvam uterqve actus intellectus & voluntatis ad beatitudinem pertineat, ultimato tamen beatitudinem in actu voluntatis in amore & fruitione consistere dicendum est. (1) qvia fruitio summi boni nobilissimus est actus intellectualis naturæ; inqve eo formaliter est ultimata attingentia objecti beatifici, & ultima perfectio naturæ intellectualis (2) qvia in statu inchoatæ beatitudinis fruitio DEI per fidem est actus

ctus nobiliſſimus. (3) in ſtatu integritatis Homo non tantum cognoſcebat DEum, ſed præcipue ei vera fiducia & ſancta obedientia adhærere debeat. (4) Theologia viatorum eſt practica potius qvam Theoretica, ergo & comprehenſorum. (5) qvia viſio DEI cauſa beatitudinis dicitur, non ipſa formalis ratio. Matth. 5, 8. (6) qvia melius eſt bono aliqvo frui, qvam cognoſcere. (7) qvia DEus nobis erit omnia in omnibus. 1. Cor. 15, 28. Contra Scholaſtici.

§. III. Beatitudo fidelium hujus vitæ non eſſentia; ſed gradu ſaltem differt ab ea alterius vitæ. Theologi paſſim.

§. IV. Utrum eſſentiam divinam & oculis corporeis ſimus viſuri, futuræ glorioſæ experientiæ reſervabimus.

§. V. Procul omni dubio beati in altera vita diſtincte ſe agnoſcent. (1) qvia Adam in ſtatu integritatis Evam antea nunqvam viſam ſtatim agnoſcebat. (2) qvia Petrus, Johannes & Jacobus in transfiguratione Chriſti ſtatim agnoſcebant Moſen & Eliam, Matt. 17, 3. (3) Dives agnoſcebat Abrahamum Luc. 16. (4) quia in hac agnitione magnum conſiſtet gaudium.

§. VI. Vitæ æternæ dantur gradus. (1) qvia gloria reſurrectionis variat ſicut gloria ſolis, lunæ & aliorum ſiderum. 1. Cor. 15, 41. (2) qvia Doctorum eccleſiæ fulgor præ aliis excellet. Dan. 12, 1. Et qvamvis

qvi

qvi vincunt omnes in thronis sedeant. Apocal. 3, 21. judicaturi mundum. 1. Cor. 6, 2. tamen Apostolorum erunt peculiares throni supra alios adjudicandas Tribus Israel. Matt. 19, 28. (3) qvia Dominus rediturus plus lucrato servo plus dabit præmii. Luc. 19, 17. (4) qvia largiter serens largiter metet, 2. Cor. 9, 6. Contra Calvinian. Socinian. aliique.

§ VII. Anima beatorum separata post discessum à corpore statim æternis gaudiis incipit frui. (1) qvia qvi moriuntur in Domino beati sunt ab eo ipso tempore. Apoc. 14, 13, (2) qvia spe & desiderio hujus felicitatis Paulus cupiebat dissolvi Phil. 1. 23. (3) qvia Spiritus justorum in cœlis dicuntur perfecti. Hebr. 12, 13.

Contra Socinian. Neo-Evangelistæ aliiqve.

§. VIII. Vitæ æternæ nullus erit finis. Teste Scriptura, qvoties de æternitate hujus vitæ loqvitur.

§. IX. Datur & revera mors æterna. De qva tot scripturæ loca.

§. X. An ignis inferni proprius an Metaphoricus apodyctice satis non constat.

§. XI. Nova & Script. S. ignota est opinio Arnoldi Bachimii Denstonii, in Pansoph: Enchiret part. 3. §. p. 146. 104. Edit. Norimb. An. 1682. statuentis animam intellectivam propter impœnitentiam inferno dicatam, postqvam corpus in resurrectione assumserit, animam sensitivam simul assumturam esse, sed in alio statu, nempe iracundo, quo in flam-

flammam versa societate sua animam intellectivam, prout & corpus excruciabit in æternum ipsa per se impatibilis, eo modo, qvo ignis à se ipso nihil patitur.

§. XII. Qværi solet: An DEus immediate, utrum mediate per diabolos sit afflicturus? Non nulli posterius, alii vero prius affirmant. Hi sequentia habent argumenta: (1) qvia Deus immediate sine ministerio angelorum beat in cœlis ergo & sine ministerio qvodam cruciabit in inferno (2) qvia diboli ipsi torqvebuntur; ergo non probabile, qvod aliorum sint tortores. (3) Diabolus primus & gravissime omnium peccavit, hominesqve ad peccandum pellexit, ergo gravius hominibus torqvebitur. (4) Videtur contra justitiam DEI esse, ut seductorem hominum, eorundem qvoqve faciat tortorem. (5) ex dicto Matth. 8, 29.

§. XIII. Et in inferno dabuntur cruciatuum gradus. (1) quia gloriæ dantur gradus; ergo & cruciatuum. (2) ab expressa Scripturæ litera. Matt. 11, 24. (3) qvia qvi scivit voluntatem Domini, nec eam fecit, duplas accipiet plagas. Luc. 12, 47. (4) qvia Babylon qvantum se extulit luxu, tanto accipiet plus tormentorum. Apoc. 18, 6. seq.

Contra jam supra notati.

§. XIV. Et damnatorum animæ separatæ statim in locum cruciatuum deveniunt, ibidemqve pœnas infernales sentiunt. Probatur (1) ex 1. Petr. 3, 19. (2) ex Exemplo divitis. Luc. 16. Contra jam supra notati. §. XV.

§. XV. Nullum datur animarum post hanc vitam intermedium receptaculum, nec purgatorium. (1) qvia nullum habet fundamentum in scriptura. (2) qvia Scriptura duorum tantum receptaculorum meminit, in qvæ animæ defunctorum deportantur, cœli scilicet & inferni. Luc. 16. (3) Qvia duo tantum dantur genera hominum, justorum, scilicet & injustorum; ergo & duo tantum animarum ipsorum receptacula. (4) Qvia post hanc vitam nulla pœnitentia habet locum in purgatorio. Damnatis enim nulla est hostia: Ebr. 10, 26. (5) Injuria est sententia contraria in satisfactionem Christi, cujus sufficientia labefactatur, qvasi Christus nos plenarie non redemisset, ut satisfactiones in purgatorio accedere debeant. Contra Pontificii Neo-Evangelist. aliiqve.

§. XVI. Cruciatuum infernalium nullus erit finis nullaqve hic spes futura ἀποκαταστάσεως. (1) ex apertissima Scripturæ litera. Matth. 5, 26. c. 18, 34. Apoc 14, 11. &c. (2) ex exemplo peccati in Spiritum S. Matt. 12, 32. Ebr. 10, 26. (3) Qvia damnati in inferno semper peccabunt & blasphemabunt. (4) omnino æqvum est ut æternum luant, qvi si semper vixissent, animum peccandi æternũ habuissent. Contra Fratres misericord. Neo-Evangel.

§. XVII. Pœna damni non erit separata à pœna sensus. Qvia nullibi Scriptura utramqve distingvit.

§. XVIII. Infernus ubi sit ignoramus.

CAP. VIII.

CAPUT VIII.

De
Imagine DEI.

§. I.

OBligamur DEO ob imaginem illam sui, ad qvam nos homines primitus creavit, qvam credimus.

§. II. Imago & similitudo in hoc loco non differunt, sed ponuntur hæc duo vocabula Gen. 1,26. per Hendiadin pro uno, ut sensus verborum sit, ad imaginem valde similem. Glassius in Philolog. S. p. 392. Contra Pontif.

§. III. Causa efficiens est tota SS. Trinitas. Qvod probatur ex numero plurali: Faciamus. Qvæ loqvutio non est majestatica pro more hodierno Regum & Principum ita loqventium & scribentium. Qvamvis enim hunc Idiotismum germanica lingva admittat, alienus tamen est ab hebraica, sicqve nihil aliud qvam pluralitatem personarum circa creationem hanc indicat. Sunt autem hæ tres personæ causa solitaria, non vero Sociæ, ex eodem argumento, qvo supra in articulo de creatione usi fuimus.

§. IV. Homo non est conditus in statu puro-

purorum naturalium. (1) qvia hic ſtatus eſt purum putum Scholaſticorum figmentum. (2) qvia contrarium potius ex Scriptura S. conſtat, qvæ dicit hominem partim creatum eſſe ad imaginem DEI; Gen. 1, 26. partim eum creatum eſſe rectum Cohel. 7. 30. (7) qvia ſic nulla foret differentia inter hominem ante lapſum & poſt lapſum (4) qvia ſic DEus re vera cauſa foret peccati.

Contra Pontificii, & Syncretiſtæ.

§. V. Duæ ſaltem non tres dantur eſſentiales partes hominis. Probatur (1) ex loco claſſico. Gen. 2, 7. ubi duæ ſaltem memorantur partes. (2) qvia & alibi in Scriptura duarum ſaltem partium fit mentio.

Contra Neo-Phyſici & Novatores.

§. VI. Etiam Eva condita eſt ad imaginem DEI. Probatur (1) ab expreſſa Scripturæ litera Gen. 1, 26, 27. Eſt hic nomen Adam appellativum & collectivum ſpeciei, uti patet ex verbo addito plurali: Dominentur. item, ex executione iſtius deliberationis ſ. conſultationis. v. 27. (2) ex prohibitione homicidii Gen. 9, 6. & ejus ratione adjecta. jam vero etiam mulier non erat occidenda. (3) ex amiſſione imaginis divinæ in utroqve ſexu. Gen. 3, 5, 7. Rom. 3, 23. (4) ex renovatione imaginis divinæ, qvæ & in ſexu muliebri debet fieri. Epheſ. 4, 24. Col. 3, 10. Gal. 3, 28. &c.

Contra Sociniani.

§. VII.

§. VII. Imago DEI primario in facultatibus animæ fuit conspicua, ut ex descriptione in Scriptura data satis videre est.

§. VIII. Primus homo in statu integritatis vi Theologiæ Naturalis habuit cognitionem de DEO ut uno & Trino. (1) qvia ad conceptum veri DEI etiam reqviritur Trinitas. (2) Qvia primus homo habuit notitiam DEI Salvificam, ad qvam non tam reqviritur unitas; sed & Trinitas. (3) qvia habuit notitiam DEi perfectam, ad qvam & notitia Trinitatis pertinet, reliqva est tantum imperfecta. (4) Qvia primus homo cum imaginem DEI habuit, procul dubio qvoqve scivit, se ad eandem esse creatum, & qvid eadem sit. Si vero primus homo scivit imaginem DEI, scire etiam debuit, imaginem hanc esse DEI Trin-Unius, qvia ad imaginem DEI Trin-Unius à Deo Triuno fuit conditus. (5) Qvia alias scientia DEI ante lapsum non differt à scientia post lapsum, qvam & Gentiles, Judæi, & Mohamedani habent. Contra Calviniani nonnulli.

§. IX Imago DEI non constitit primario in dominio. (1) Qvia nullibi id in Scriptura S. asseritur. (2) Qvia in dicto classico Gen. 1, 26. 27. expresse dominium ab ipsa imagine DEI discernitur, cum jam conditis ad imaginem Dei hoc dominium demum concedatur. (3) Qvia hoc dominium & post lapsum hominis datur. Gen. 9, 1, 2. nec tamen

men imago hoc modo simul conceditur. (4) Qvia in renovatione ad dominium hoc non dicimur renovari. (5) Qvia in altera vita beatis restituetur pleniſſime imago DEI, qvi tamen non habebunt dominium in creaturas. Contra Sociniani.

§. X. Imago DEI non fuit donum ſupernaturale, ſed naturale. Probatur (1) ex loco claſſico. Gen. 1, 26, 27. ex qvo patet, imaginem DEI concreatam fuiſſe primo homini: Jam vero omne concreatum, eſt naturale, qvia correſpondet connato. (2) à propagatione. Qvicqvid autem propagabile eſt, naturale qvoqve eſſe oportet (3) à natura contrarii, peccati ſcil. originalis, qvod nobis naturale. (4) à nullitate ſtatus purorum naturalium. Cont. Pontif. & Syncret.

§. XI. Immortalitas primo homini fuit naturalis. (1) Qvia homo creatus eſt valde bonus. Gen. 1, 31. Ergo non mortalis &c. Cui & illud adhuc accedit, qvod DEUS homini inſpiraverit ſpiraculum vitarum, corpusq; ei dederit è terra non dum maledicta. (2) Qvia poſt commeſtionem de arbore vetita demum morbi, dolores & ærumnæ dictitabantur. Gen 3, 17. ſeq. (3) Qvia homo conditus rectus. Cohel. 7, v. ult. (4) ex illo Sapientiæ I. v. 13, 14. DEUS mortem non fecit. (5) Qvia contraria doctrina ſemper ab Eccleſia fuit damnata in Pelagianis, Materiariis, aliisqve.

Contra iidem. §. XII.

§. XII. Imago DEI non fuit ipsa hominis substantia. (1) à silentio Scripturæ (2) Qvia imago DEI ab ipso homine distingvitur. Alius enim est homo conditus, aliud ad qvod conditus fuit. (3) Qvia Scriptura imaginem DEI describit per Sapientiam & justitiam; sed hæc sunt accidentia, non substantiæ. (4) Si imago DEI fuit substantia, aut fuit finita & creata, aut infinita & increata. Si hoc, fuit ipsa justitia DEI essentialis qvod Osiandricum ψεῦδος est: Si vero illud, necesse est, hominem substantia sive essentia sua fuisse justum, adeoqve immutabiliter. Qvod vero iterum contradictionem involvit, & ex homine facit DEum. Solus enim DEus essentialiter est justus. (5) Si imago DEI ipsa hominis essentia fuerit, seqvitur ea sublata ipsam hominis essentiam esse sublatam, sed absurdum est posterius, ergo & prius. (6) Fideles renovantur, & sic in ipsis reparatur imago DEI amissa. At vero essentialis qvædam imago in nobis non renovatur. Sic enim justitia nulli homini est essentialis, cum eadē excidere qveat. Cont. Flaciani.

§. XIII. Pepigit DEUS cum primo homine in Paradiso fœdus, idqve legale. Probatur (1) ex aperta Scripturæ litera. Hoseæ. 6, 7. (2) ex promissione vitæ æternæ Adamo facta. (3) ex diserta oppositione justificationis legalis & Evangelicæ Rom. 3, 24. Contr. Balth. Bekker. aliiqve.

§ XIV. Stetit Adamus in hoc fœdere (1) ut caput naturale seu seminale & radix, à qvo via naturali per generationem scilicet omnes homines debuere descendere. Act. 17,26. Hebr.2,11. (2) Et ut caput fœderale ac morale. Rom. 5,14 Contra Calvinianos.

§. XV. Fœdus hoc habuit Sigillum s. Sacramentum in significatu latiori, qvod nonnullis videtur fuisse arbor vitæ. Contra Calvin.

CAPUT IX.

De

Peccato.

§. I.

QVantum & reatu peccati DEO nostro teneamur ex verbo DEI revelato cum horrore cognoscimus, & credimus.

§. II. Peccatum est vel originale l. actuale Et illius existentia neqvaqvam est neganda. Qvæ licet qvidem ex rationis principiis certo scieri neqveat; ex Scriptura tamen Sacra sat abunde constat.

§. III. DEus nullo modo potest dici causa peccati. Nec I. Efficiens physica per se. Qvod probatur (1) ab expressa Scripturæ litera. Ps. 5,5. Jac. 1,13, 14. (2) ab essentiali

tiali DEI sanctitate, puritate ac bonitate. Deut. 31, 14. Ps. 112, 16 1. Sam. 2, 7 1. Joh 1, 5. (3) à natura mali, qvod est ἀνομία 1. Joh. 3, 4. Sed impossibile est, ut DEus ejus possit esse auctor, cum semetipsum abnegare neqveat. 2. Tim. 2, 13. (4) â justitia DEI, qva punit peccata. Ergo illorum non potest esse auctor. Nec II. est causa peccati moralis. Qvod probatur (1) ex dictis jam citatis, qvibus adde Zeph. 3, 5. Syrach. 15, 11. ex qvibus omnino constabit DEO non placere peccatum, adeoqve nec svadere aut approbare illud poterit. (2) ex odio DEI erga peccata. Ps. 145, 8. Ps. 5, 7. Deut. 17, 4. Zach. 8, 17. Qvi autem peccatum odit, ille id svadere non potest aut approbare. (3) ab interdictis, minis & qværelis DEI. item â pœnis DEI. Nec. III. est causa peccati per accidens. Probatur (1) qvia nulla nos cogit necessitas ita loqvi. (2) ex remotione definitionis causæ per accidens à DEO, qvocunqve etiam modo sumatur. (3) qvia repugnat omnibus hactenus allatis dictis Biblicis. (4) qvia nec modi illi, qvorum respectu adversarii DEum causam peccati per accidens faciunt hic locum habent. (5) qvia contraria assertio scandalosa est. Et his omnibus, qvi causam per accidens nolunt esse veram causam merito regeritur illud, perinde esse ac si dixerim: Ihr seyd alle Scheime per acci-

 dens,

dens, & me deinceps vellẽ, explicare me intelligere vocem Schelme improprie & æqvivoce, cum tamen eadem erit injuria: Ich schelte einen schlechterdings vor einen Schelm / oder vor einen Schelm per accidens. Nec deniqve IV. DEus commode potest dici causa peccati deficiens. Qvia (1) DEus non deficit, sed à DEO deficit is, à qvo peccatum est. (2) DEus peccare aut deficere à bono, à Sanctitate & justitia non potest, qvia ipsa est justitia & Sanctitas (3) DEus neminem deserit prius, nisi ipse deseratur ab homine. Contra Calvin, Syncretistæ, Maresius &c.

§. IV. Serpens in Paradiso fuit naturalis, ac verus. Qvod probatur (1) ex ipsa voce עָרוּם qvæ verum ac naturalem denotat serpentem. A proprietate autem literæ non est recedendum, nisi nos cogat necessitas. (2) ex comparatione hujus serpentis cum aliis animalibus. (3) ex præfixo ה emphatico, cujus officium est, significatum qvasi notius reddere &c. Qvamvis hic serpens à Diabolo fuerit obsessus, ut ex omnibus circumstantiis patet.

Contra Burnet, Bekkeriani, aliiqve.

§ V. Lex de non comedendo de arbore vetita fuit positiva, non naturalis. Sic enim naturâ scire hanc legem Adamus non potuit, sed specialiter à DEO fuit revelata.

§. VI. Vitium naturæ fit nostrum non sola imputatione aut imitatione, sed carnali

Adam fuit Caput Foederale et Seminale hoc illustrat Similitudo legati

li etiam generatione. ut constat ex clarissimis Scripturæ S. locis. Gen.5,3. c.6,5. Ps.51, 7. Job.14,4. &c. Contra Pontificii & Novatores.

§. VII. Omnes homines excepto solo Christo sunt peccatores, etiam B. Maria virgo. (1) qvia Scriptura nullibi eam eximit. (2) Qvia Maria opus habuit redemtore. Luc.1,47. (3) qvia actu Maria peccavit. vid. Matt.12,46. Marc.3,31. Luc.2,22,43,49. 18, 20. Joh.2,4. &c. (4) qvia Maria est mortua. (5) ex consensu antiqvitatis. Pariter nec Johannes Baptista hic exemptus fuit. Cont. Pontif.

§. VIII. Peccatum primum initium sumpsit ab intellectu, non à voluntate. Qvod probatur (1) ex Gen. 3, 6. & vidit mulier. Qvod videre initium peccati denotans non nisi primo ad intellectum referri potest; sive respicias aversionem à bono s. reflexionem ad malum. (2) à diabolicæ tentationis processu & modo, qvi uti patet, omnino prius ad intellectum erat directus. (3) ex seductione Evæ, qvemadmodum Scriptura illam eidem tribuit. 1. Tim.2, 14. 2 Cor. 11,3. Qvæ non nisi in intellectu initium sumere potuit. Contra Cartesiani.

§. IX. Non ex solo beneplacitó divino pœna primis hominibus fuit dictitata. Qvod probatur (1) ex justitia divina, vi cujus peccata condonare satisfactione neqvit. Ps.50,5. Rom.3. &c. (2) ex sanctitate, per qvam qvæ odit condonare neqvit. Habac. 1,13. Amos.4,2,6,8. (3) ex veracitate. DEus qvip-

pe in minis æqve ac promissionibus verax est. Ebr. 6, 18. Sed jam ab initiis seculi minatus est peccatoribus. (4) ex Majestate DEI, qvam non poterit pati lædi. Atqve adeo non ex solo beneplacito hic DEus egit. Contra Sociniani.

§. X. Peccati originalis πρῶτον δεκτικὸν non corpus est, sed anima. (1) qvia peccatum est ἀνομία. Ergo legem Legisqve auctorem scire oportet. Scire vero non est corporis sed animæ. (2) qvia peccatum non diffitentibus adversariis, est habitus. Jam vero habitus non est primario in corpore, sed oritur ab anima. Contra Nonnulli.

§. XI. Peccatum originale & formaliter & abstractive consideratum non est mere privativum, sed & positivum qvid. Probatur (1) qvia peccatum originale in S. Scriptura ita passim describitur; partim per terminos privativos. v. gr. nos carere gloria. Rom. 3, 23. &c partim per positivos. e. gr. Qvando expresse mentio fit concupiscentiæ & legis rebellantis. Rom. 7, 17, 20. non solum DEum non diligimus, sed & ipsius hostes dicimur. Rom. 8, 7. Appetitu boni caremus & appetitum malum habemus. Gal. 5, 17. &c. Qvis autem negabit his in locis agi de peccato formaliter & qvidem abstractive. Arguo: Omne in se malum pertinet ad formale abstractive, non negantibus ipsis adversariis. Atqvi, omnes

illi

illi hactenus recensiti termini positivi, qvibus Scriptura peccatum descripsit, sunt per se mali. E. Probatur. (2) ex Autoritate Librorum Symbolicorum, imprimis ex Artic. secundo A. C. conf. & Apol. p. 54. seq. Qvod vero formaliter & abstractive hic peccatum sumatur, hoc probo argumento: Qvo sensu Scholastici affirmant peccatum originale esse meram privationem, eo & non alio A. C. id negat. Atqvi formaliter & abstractive esse affirmant illi. Erg. formaliter esse negat A. C. Major probatur. Qvia A. C. loqvitur contra Scholasticorum definitionem, ut ex Apol. constat. Minor est in aprico. Probatur (3) ab absurditate contrariæ sententiæ, utpote qvæ favet Papismo, maximeqve scandalosa est. Qvod si enim peccatum mera est privatio, tum erit Non-ens. Mera privatio enim est non ens. Hinc si ulterius velis Philosophari: Tum non entis nullæ sunt affectiones, privationis nulla est efficacia. Qvæ vero sine scandalo hic applicari neqveunt. Intelligitur hic autē per positivum non ens positivum, sed sumitur terminus (1) in sensu grammatico qvia re vera aliqvid ponit in homine, qvod antea non habuit. Qvem sensum etiam qvodammodo posses dicere metaphysicum. Ex qvo tamen non seqvitur esse qvoqve peccatum ens aliqvod metaphysicum. Ut enim in metaphysicis omne reale non statim est ens reale, ita nec omne positivum statim

est ens positivum. (2) in sensu logico, qvo Subjectum ita afficitur, ut ab eo denominetur qvale, sicut ab avaritia dicitur avarus. (3) in sensu Ethico & morali, qvemadmodum vitia ut positivæ qvalitates opponuntur virtutibus. Contra Pontificii & Novatores.

qvæ maxime hic attende

§. XII. Concupiscentia pertinet non ad materiale sed ad formale peccati. Probatur (1) ab expressa scripturæ litera, secundum qvam concupiscentia est ἀνομία. Rom. 7,7. (2) Itidem ab autoritate A. C. loc. cit. Qvod vero illa concupiscentia non ad materiale sed ad formale peccati referat seqventi probo argumento: Qvicqvid per lapsum successit in locum justitiæ originalis, id omne qvantum est, justitiæ contrarium, & sic formaliter peccatum est. Atqvi Concupiscentia, per qvam peccatum originale definitur in A C. successit in locum justitiæ originalis. Erg: Insto: Qvicqvid post lapsum in locum justitiæ originalis successit, id non ad materiale, sed ad formale spectat. Atqvi Concupisientia. &c. Erg: Major probatur. Qvia materiale peccati est subjectum ejus & facultas hominis naturalis, jam vero hæc non successit in locum justitiæ originalis, sed jam tum exstabat. Contra iidem.

§. XIII. Motus primo primi sunt peccata actualia, non ipsum originale. Sunt enim hi motus actus, & per conseqvens â pec-

peccato originali differunt ut effectus à causa, cum peccatum originale non sit actus sed habitus. Contra Novatores.

§ XIV. Peccatum non est dicendum non ens aut nihil. Tot enim prædicata in Scriptura de peccato occurrunt, qvæ istiusmodi scandalosam locutionem non concedunt. Et licet peccatum non sit ens metaphysicũ sufficit qvod sit ens reale ethicum. Cont. iidem.

§. XV. Infantibus peccatum originale inest non per modum dispositionis, sed per modum habitus connati. Sic enim peccatum originale infantum eodem modo describitur ac peccatum originale adultorum. Gen. 6, 5. collato cum Ps. 58, 41. & Es. 48, 8.

§. XVI. Peccatum originale sufficiens ac adæqvata est damnationis causa. Probatur (1) ab expressa Scripturæ litera. Rom. 5, 12. 1. Cor. 15, 21, 22 (2) ex atrocitate peccati & justitia DEI. Eqvidem B. Dn. D. Scherzerus in Syst. loc. 7. §. 11. p. 170. cum Menzero asserit, peccatum originale non esse adæqvatam damnationis causam, verum sat orthodoxe eum explicavit & conciliavit Magnif. Dominus D. Fechtius, Parens in Christo meus filiali obseqvio ac pietate colendus, qvem Deus adhuc longe diuqve salvum & incolumem servare velit. in Disp. de statu infantiũ à gentilibus progenitorũ, cum in infantia decedunt. Sect. 3, §. 24.

§. XVII. Peccatum originale non est ipsa hominis substantia. (1) qvia imago DEI in

iu cujus locum successit, non erat substantia. (2) qvia expresse Scriptura. S peccatum ab ipso homine distingvit. Gen. 4, 7. (3) qvia repugnat definitio substantiæ. &c. Contra Flaciani. (4)

§. XVIII. Etiam cogitationes sunt peccata. Probatur (1) ab expressa Scripturæ litera. Gen. 6, 5. (2) qvia DEus corda & renes probat, & de occultis qvoqve judicat. Ps. 19, 13. (3) qvia cogitationes malæ sunt contra legem.

§. XIX. Non omne peccatum actuale est voluntarium Nam (1) omnis ἀνομία est peccatum sive τὸ voluntarium accedat, sive non 1. Joh. 3, 4. & ubi est illegalitas, ibi est peccatum. Sed & in involuntario malo est illegalitas. Erg. (2) qvia in hominibus dantur peccata ignorantiæ & infirmitatis. Levit. 4, 2, 27. Num. 15, 27. Ps. 19, 13. Ps. 25, 7. Gen. 12, 17, 18. utpote qvæ peccata sunt & tamen actualia, (3) qvia Apostolus testatur se id facere, qvod non vult. Rom. 7, 15. idqve malum peccatum esse agnoscit. v. 19, 24. conf. Gal. 5, 17. &c.

Contra Novatores.

§. XX. Habent & infantes peccata actualia. (1) qvia habent peccatum originale, qvod nunqvam otiosum. (2) qvia id testatur Scriptura, Gen. 6, 5 & experientia. (3) ab Autoritate Ecclesiæ, qvæ formulam hanc in baptismo adhibet: alles was ihm von Adam angebohren ist/ und er selbst dazu gethan hat.

Contra iidem. §. XXI.

§. XXI. Nullum datur peccatum naturâ suâ veniale. 1. Qvia nullum tam parvum est peccatum, qvin nos in judicium ducat Matth. 12, 36. c. 5, 18. seq. 2. Qvia ex rigore justitiæ divinæ nemo innocens est. Job 9, 2. Ps. 103, 3. Ps. 143, 3. Contra Pontif.

§. XXII. Sagæ non sunt peccatores in Spiritum S. 1. Qvia & Manasses maleficis artibus inserviisse dicitur 2. Chron. 33, 6. qvi tamen peccator in Spiritum S. non fuit. 2. Qvia multæ sagæ sese convertunt, adeoqve media salutis non finaliter rejiciunt.

§. XXIII. Non Lex sed Evangelium est objectum peccati in Spiritum S. Et hinc facile responderi poterit ad qvæstionem: An peccati hujus genus possit esse ἀνομία? eqvidē Johannes 1. Epist. cap. 3, v. 4. asserit, omne peccatum esse ἀνομίαν. Hinc facile qvis subsumere posset hanc παράβασιν esse peccatum. Ergo etiam vi seqvelæ ἀνομίαν illam esse diceret. Sed intelligitur duntaxat genus latius, qvia non universam hujus peccati qvoad speciem actus naturam comprehendit. Nam qvamvis qvidem peccatum hoc in genere, qvatenus peccatum est, omnino ἀνομία sit, & vox ἀνομίας, si specialiter accipiatur, etiam ἀπιστίαν sub se complectatur: Prima enim legis tabula, primumqve ejus præceptum

eo

eo ipso dum fidem & obedientiam erga DEum reqvirit, vi oppositorum omnem ἀπιστίαν, etiam illam, qva qvis Evangelio ipsi scil. DEI verbo fidem denegat, castigat & condemnat. Attamen peccatum hoc si qvoad speciem actus, & cum addito: Peccatum in Spiritum S. dicitur, sub genere ἀνομίας contineri neqvit. Sed tum ex jam dictis strictius ac proximum ejus genus est ἀπιστία.

§. XXIV. Impœnitentia finalis non ad formale sed ad adjuncta hujus peccati spectat.

§. XXV. Peccatum in Spiritum S. irremissibile est & qvoad actum, & qvoad potentiam. Qva in sententia nos maxime confirmat clarissima illa litera. Matth. 12, 31, 32. Qvo ex dicto ita colligimus: In qva notione Christus vocabulum ἀφεθήσεται *remittetur*, in uno distinctionis membro adhibuit, in eadem etiam vocibus οὐκ ἀφεθήσεται *non remittetur* in altero distinctionis membro usus est. Subsumimus: Atqvi Christus vocabulum ἀφεθήσεται in priori distinctionis membro (ad qvod tum peccata morum omnia, tum peccatum etiam in Filium hominis pertinent) non tantummodo sub actus; sed potissimum potentiæ notione adhibuit. Ergo etiam in altero distinctionis membro vocibus: οὐκ

οὐκ ἀφεθήσεται *non remittetur* eundem in modum usus est. Min. prob. qvia verbum prioris membri ἀφεθήσεται, si de actu explicari deberet, vix sibi per omnia dictum Christi constaret. Nam utut multa morum peccata, nec non peccatum in Filium hominis interdum actu ipso remittantur, semper tamen illa remitti negant exempla illorum, qvi in peccatis mortalibus moriuntur. Qvando autem Theologi Nostrates nonnulli dicunt, excludi in hoc peccato non tam potentiam, qvam actum, tum considerare videntur hoc peccatum (α) non solitarie, sed comparative, respectu scil: meriti Christi & gratiæ, cujus & nec erga peccatorem in Spiritum S. datur terminus. (β) non absolute sed conditionaliter cum adjecto illo: Si nimirum possibile esset peccatorem hunc resipiscere.

§. XXVI. Peccatum in Filium hominis est adversus Christum θεάνθρωπον, qvi non tantum in statu exinanitionis, sed & in statu exaltationis hic spectatur. Qvoniam & hodie adhuc committi potest.

§. XXVII. DEus neminem indurat nec deserit, nisi deseratur prius.

§. XXVIII. Tales penitus indurati, qvi plane non possint converti in hac vita non dantur. Qvia (1) hac ratione solus diabolus simpliciter est inconvertibilis. (2) qvia nemo

mo datur adeo induratus, cujus non salutem cupiat & optet DEus. Contra Terministæ.

CAPUT X.

De

Viribus Liberi Arbitrii.

§. I.

ET ob amissas illas concreatas vires DEO nostro tenemur. Qvod pariter credimus.

§. II. In naturalibus homo habet post lapsum liberum aliqvod arbitrium. (1) ex dictis. Rom. 1, 19, 20. 2, 14, 15. 10, 3. Philip. 3, 6. (2) qvia alias nulla foret actio moraliter bona aut mala, qvæ laudem ac vituperium mereatur. (3) Qvoniam alias DEus foret causa peccati. (4) qvia alias præmia indebita & supplicia omnia injusta forent. (5) qvia omnes leges in politia alias & Respublica forent inutiles. Contra Calvin. Non tamen liberum hoc arbitrium tantum est, ut cavere qveamus ne unqvam erremus & in naturalibus. Uti qvotidiana experientia & exempla etiam Sapientissimorum testantur. Contra Cartesiani.

§. III. In rebus mere spiritualibus homo irregenitus plane nullum habet liberum arbitrium, nullasqve sese convertendi vires. Rom. 8, 7. Joh. 8, 34. &c. Contra Pelag. Pontif. Synergist. & Novator.

§. IV

§ IV. Intellectus in rebus spiritualibus post lapsum plane est cœcus, nihilqve propriis viribus intelligere potest. 1 Cor. 2, 14. Ephes. 4, 17, 18, 19. Matth. 13, 13. Ephes. 5, 8. Joh. 1, 5. Joh. 15, 5. Contra iidem.

§ V. Hinc homo ex naturalibus viribus sine omni lumine gratiæ nullam, multominus excellentem qvandam verbi divini notitiam conseqvi potest, nec tantam, ut dicta Scripturæ difficilia explicare, illustrare, & à corruptelis vindicare, imo ut totam fidei analogiam sine errore cognoscere, deqve ea cum aliis loqvi, concionari, aut disputare qveat. Qvæ omnia â gratia assistente sunt. 1. Cor 12, 8. Contra Pietistæ.

§. VI. Voluntas in rebus divinis prorsus non modo à DEO aversa, verum etiam adversus DEUM naturâ suâ fertur, & ad omne malum conversa ac penitus depravata est. Gen. 6, 5. c. 8, 21. Jer. 17, 9. Rom. 8, 7. Contra jam §. 3. notati.

§. VII. Hinc & falsum est, omnes errores esse in voluntate, nullos in intellectu. Contra Pajoniani.

CAPUT XI.

De

Benevolentia DEI Universali.

§ I.

ET ob hanc DEO nostro obligamur. Qvod credimus.

§. II. Distinctio voluntatis DEI in antecedentem & consequentem proba est & bona. (1) Quia in genere spectata radicata est tum in Scriptura; 1. Sam. 2, 30. tum in natura. Sic e. gr. Pater vult sepeliri à filio, non sepelire filium, juxta voluntatem anteeedentem. Quando autem Pater filium videt morti vicinum vel mortuum, utique illum vult sepelire, voluntate consequente. (2) Quia & in specie si applicatio fiat ad controversias anti-Calvinianas in præsenti loco itidem est radicata in tot Scripturæ locis, ubi DEus dicitur velle modo omnium hominum, modo credentium salutem Item & in antiquitate. Contra Calviniani.

§. III. Voluntas antecedens ordinata quidem est, & respiciens media salutis; sed ratione exhibitionis; non vero ita conditionata est, ut etiam respiciat hæc ipsa media ratione applicationis, pœnitentiamque hominis simul includat. Quod voluntatis consequentis est. Provocamus (1) ad inductionem omnium locorum, voluntatem hanc describentium. Matth 28, 19. 1. Tim. 2, 4. &c. (2) Quia voluntas hæc ad pœnitentiam ducit, non ergo eandem includit. 2. Petr. 3, 9. Contra Terministæ.

§ IV. Voluntatis divinæ antecedentis etiam erga maxime induratum peccatorem in hac vita nullus est terminus. (1) Quia se extendit ad mundum. Joh. 3, 16.

Quam-

Qvamdiu ergo induratus ad mundum pertinet, qvemadmodum ad eum pertinet quousqve vivit, tamdiu etiam voluntatis DEI antecedentis nullus datur terminus. (2) Qvia & maxime induratus spernit voluntatem hanc Domini, ergo necessario voluntas hæc dabitur. (3) Qvia & maxime induratus vocatur. De qvibus mox denuo infra. Contra iidem.

§. V. DEus vult serio omnium omnino hominum salutem. (1) Ex clarissima litera. 1. Tim. 2, 4 Rom. 11, 32. (2) Qvia juramento asserit, sibi non placere mortem peccatoris Ezech. 18, 23. neqve vult ullum perire. 2. Petr. 3, 9. (3) qvia totum mundum dicitur diligere, qvi in credentes & incredulos distingvitur. Joh. 3, 16. seq. (4) Idem constat ex universalitate satisfactionis Christi. De qva infra. Item (5) ex universalitate vocationis. De qva itidem infra. Contra Calviniani.

§. VI. DEus etiam media salutis vult omnibus hominibus dare. (1) Qvia DEus serio vult finem, salutem nimirum, ut jam probavimus. Ergo etiam media velit necesse est. (2) Qvia DEus media salutis e. gr. Verbum & Sacramenta, ex qvibus fides est, omnibus offert. (4) Qvia DEus tam serio ad hortatur homines, & excitat ad pœnitentiam & fidem. Matth. 3, 8. Marc. 1, 15. Contra iidem Hypothetici.

CAP. XII.

De

Electione.

§. I.

ET ob hanc specialem gratiam obligamur DEO nostro. Qvam credimus.

§. II. Electio & prædestinatio sunt Synonyma, nec poterit dici, qvod prædestinatio reprobationem qvoq; sub se complectatur. Prob. (1) ex inductione omnium locorum Biblicorum (2) qvia qvi prædestinati sunt secundum phrasin biblicã etiam glorificati dicuntur. Rom. 8, 30. Qvæ vero ad reprobationem applicari neqveunt. (3) Qvia distinctio hæc semper ab Ecclesia orthodoxa fuit rejecta. Contra Calvinian.

§. III Electio & inscriptio in librum vitæ non videntur esse Synonyma. Et admodum speciosa est sententia eorum, qvi dicunt; qvod liber vitæ sit nihil aliud qvam catalogus credentium, sive eorum, qvi oblata media acceperunt, non habito respectu ad finalem perseverantiam. Qvo ex catalogo fieri potest deletio.

§. IV. Electio habet suas causas. (1) qvia Scriptura S. eadem ratione loqvitur de Deo cum

cum nos vocat, justificat & glorificat, qvam loqvitur de DEO, qvi nos prædestinavit. Rom. 8, 3. uti ergo vocatio, justificatio & glorificatio suas habent causas, ita & electio. (2) A pari exemplo, verbi scil. qvod utiqve non est DEus ipse; sed est in DEO, nihilominus tamen causa sua non est destitutum. (3) Qvia nemo Theologorum hactenus causas electionis negavit. Cont. Novatores.

§. V. Accurate loqvendo fides non ingreditur electionem ut movens, sed est conditio prærequisita & prævisa. (1) Qvia non electi dicimur *propter* fidem; sed *per* fidem. (2) Qvia contraria assertio variis adversariorum calumniis est exposita. (3) Qvia nulla nos cogit necessitas contrariâ phrasi uti. Non tamen propterea in alterum absurdum dilabi debemus, ut statuamus, meritum Christi simpliciter spectatum esse causam impulsivam electionis. Cum hac ratione electio foret universalis, qvia meritum Christi simpliciter spectatum ad omnes omnio homines sese extendit. Hinc omnino cum antiqvioribus Theologis notanter dicere solemus: Meritum Christi *fide apprehensum* s. ratione prævisæ applicationis spectatum esse causam impulsivam.

§. VI. Subjectum electionis est Homo, isq; non qva integer, nec qva creandus; sed qva lapsus, ut constat ex ordine decretorum

divinorum. Qvorum scala ex mente orthodoxorum hæc est: (1) Decretum de creatione hominis (2) Præscientia lapsus. (3) Decretum redemtiouis. (4) Consilium de mediis. (5) Prævisio eorum, qvi iis usuri vel non (6) Beneplacitum de utentibus glorificandis. (7) Eorum præscientia specialis. (8) Præscitorum dilectio. (9) Dilectorum electio. Contra Calviniani tam supralapsarii, qvam infra lapsarii.

§. VII. Electio non est facta absolute; sed intuitu fidei finalis. (1) Qvia electi dicimur κατὰ πρόγνωσιν. Rom 8, 29. Qvæ prævisio non nisi fidem respicit. (2) Qvia expresse dicimur electi in fide veritatis. 2. Thessal. 2, 12. (3) Qvia dicimur Electi in Christo. Eph. 1, 4. Qvo omnino innuitur fides, utpote sine qva sumus extra Christum. (4) qvia executio hujus decreti non fit absolute, sed intuitu fidei, Contra Calviniani.

§. VIII. Electio est particularis. Probatur (1) ex paucitate. Matth. 20, 16. (2) Qvia electio non est facta absolute, sed intuitu fidei. Cum ergo non omnes credant, nec omnes possunt dici electi. (3) Qvia actu non omnes salvi fiunt.

Contra Huberus.

§. IX. Electio est immutabilis. 2. Tim. 2, 19.

§. X. Possunt tamen Electi totaliter excidere gratiâ divinâ, licet non finaliter.

Proba-

Probatur (1) ex Pſ. 37, 24. Qvem autem DEus erigit, ille antea debuit lapſus fuiſſe (2) ex exemplis electorum, Lothi, Jobi, Davidis, Aaronis, Petri, &c. qvi omnes mortaliter peccarunt, adeoqve gratia DEI exciderunt. (3) ex monitu Apoſtoli. 1. Cor. 10, 12. (3) ex precibus electorum. Pſ. 51, 13.

Contra Calviniani, qui dicunt, electos plane gratia excidere non posse.

§. XI. Somnium eſt Autoris Eterni Evangelii aliorumqve, numerum electorum majorem eſſe, numero reproborum. Cum contrarium conſtet ex paucitate modo jam aſſerta.

§. XII. Reprobatio, electionis contrarium, non facta eſt abſolute, ſed intuitu incredulitatis finalis. Probatur (1) Qvia ex preſſe incredulitas judicii in mente divina jam ſuſcepti & iræ imminentis cauſa dicitur. Joh 3, 18, 36. (2) Qvia DEus ipſe teſtatur, culpam perditionis hominum non eſſe in ſe, ſed in ipſis pereuntibus. Hoſeæ. 13, 9. Matth. 23, 27. (3) Qvia cauſa executionis hujus decreti eſt incredulitas. Marc. 16, 16. (4) à ſumma DEI iuſtitia, qvæ non patitur ut juſtus cum injuſtis pereat. Gen 18, 25. (5) Qvia alias DEus reſpiceret in judicio ſuo perſonam. Qvod eſt contra Deut. 10. 17. Act. 10, 34. 1. Petr. 1, 17.

Contra Calviniani.

§. XIII. Nec poſitiva, nec negativa re-

probatio est toleranda. Qvia nullibi Scriptura S. sic distingvit. Contra iidem.

§. XIV. Fides temporaria reproborum vera specie fides est, per qvam ad tempus possunt esse in gratia. Probatur (1) ex clarissima litera. Ezech 18,26. (2) ex Luc. 8 13. (3) Qvia fides temporaria easdem habet causas, qvas perseverans habet, modo in duratione est differentia. Qvis vero propterea differentiam in specie faciet? Qvis plantam ob radicis infirmitatem vento in petra dejectam specie differre dicat ab alia firmiores radices habente. (4) Qvia idem ubivis est objectum.
Contra iidem.

§. XV. Potest omnino homo electionis suæ & salutis esse certus. (1) Qvia jubemur nos probare, num in fide simus. 1. Cor. 11, 28. 2. Cor. 13, 5. (2) ex exemplis piorum Abrahami. Rom, 4, 18. seq. Davidis. Ps. 27, & 31. Jobi cap. 19, 25. Pauli. Rom. 8, 31. seq. 2. Tim. 1, 12.
Contra iidem.

(o)

CAP.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1025697472/phys_0116
DFG

CAPUT XIII.

De CHRISTO.

§. I.

OBligamur DEO nostro, qvod Redemtorem habeamus, qvi ex miseria nostra nos eripuit, qvi est Christus. Qvem credimus.

§. II. Messias ille, qvi juxta Scripturam V. T. venire debuit, jam dudum in carnem venit. Uti ex Gen. 49, 10. & Dan. 9, 24. seq. aliisqve Scripturæ dictis satis evincitur. Est vero ille Messias JEsus ille, in qvem nos Christiani credimus. Qvod vel unico hocce prob. argumento: In qvo omnia vaticinia prophetica de Messia agentia impleta fuere, ille est verus Messias. Atqvi noster JESUS &c. E. Major est in aprico. Min. Prob. Sic enim in JESU impletum (1) dictum Gen. 49, 10. (2) Dan. 9, 24. (3) dictum. Es. 7, 14. qvia est à virgine natus. (4) dictum Mich. 5, 2. qvia in Bethlehem fuit natus. (5) Messias debebat esse verus DEUS, & verus, homo. Talis Christus noster est. &c. Contra Judæi.

§. III. Sine notitia Christi nemo potest

salvus fieri. Prob. (1) ab expressa Scripturæ litera. 1. Joh. 5, 12, 13. (2) qvia Christus fundamentum est salutis 1. Cor. 3, 11. (3) qvia sine fide, qvæ nititur Christo, nemo potest salvari Marc. 16, 16. Ebr. 11, 6. &c.

Contra Qvakeri.

§. IV. Male à Qvakeris tota illa historia de Christo in allegoriam transfertur, & de qvovis homine pio explicatur, qvi ἐμπίνσει Spiritus S. concipi, divinæ naturæ uniri, crucifigi, mori, sepeliri, resurgere, atqve ascendere ad cœlos debeat, male etiam notitia hæc paschatos manducatio ab ipsis vocatur. Qvæ contrariantur (1) omnibus & V. & N. T. Scripturis. (2) regulis hermeneuticis, qvæ docent, à litera non esse recedendum. (3) universæ piæ antiqvitati.

§. V. Character, λόγος, & ἀπαύγασμα patris, nomina sunt, qvæ non ad Christi officium, sed divinam ejus naturam, & originem referuntur. Uti ex Scopo Spiritus S. ubivis satis clarissimum est, ac perspicuum. Contrariumqve non sine multis absurditatibus asseritur. Contra Sociniani.

§. VI. Christus & verus DEUS est, ut jam supra probavimus. Et verus est qvoq; homo. Qvod Prob. (1) ex omnibus veri hominis partibus tam essentialibus qvam integralibus. (2) ex proprietatibus Humanæ Naturæ Christo competentibus. Contra Marcionit. Valentinian, Qvakeri, &c. &c.

§. VII.

§. VII. Christus descendit juxta humanam Naturam ex Adamo non tam seminali & naturali propagatione vi benedictionis illius Gen. 1, 28 qvam fœderali promissione. Gen. 3, 15. facta, & supernaturali ἐπιλεύσει Spiritus S. Luc. 1, 35. *Walther.*

§. VIII. Christus Davidis filius non tantum legalis, sed utiq; naturalis fuit, & ex ejus prosapia re vera ortus. Qvia (1) id volunt Prophetiæ V. T. ubi germen ex Davide ortum promittitur. Es 11, 1. Jerem. 23, 5. (2) idem testimonia N. T. qvibus dicitur genitus esse ex semine David Rom 1, 3. 2. Tim. 2, 8. Act. 13, 23. (3) qvia manifestam esse Christi progerminationem ex juda dicit Apostolus, & propterea privilegia tribus Levi ad ipsum nulla ratione pertinere. Ebr. 7, 14. Contra Sociniani.

§. IX. Humanam naturam, non personam assumsit Christus. Fuit enim ἀνυπόστατος Humana Natura, ut licet fuerit substantia completa in essendo, non tamen completa in subsistendo, ut propriam habuerit subsistentiam. Qvoniam alias duæ in Christo fuissent personæ.

§. X. Unum saltem est corpus Christi non duplex, Spirituale & humanum, Hebr. 2, 14. adeoqve nec ante incarnationem homo fuit, sed DEus tantum, Joh. 1, 1. 14. &c. Contra Qvakeri.

§. XI.

§. XI. Hypostasis τῷ λόγῳ vere & realiter communicata est humanæ naturæ, ita ut H. N. subsistat hypostasi Filii DEI. Sic enim duæ naturæ subsistunt in unâ personâ, ut unus sit Christus, unus mediator. 1. Tim. 2,5. unus Dominus. 1. Cor. 8,6. & sic unum ὑφιστάμενον. Hinc autem communicatio facta est vel divinæ hypostaseos carni, vel humanæ hypostaseos DEO: Hoc non est, & impossibile est, alias Divina Natura propriam hypostasin amisisset. E. illud est. Vel qvarum naturarum unio facta est ad personam unam, illæ subsistunt in una hypostasi. AtqviDivinæ &Humanæ Naturæ unio facta est ad unam personã E. Non subsistunt personâ creatâ E increatâ. Cont. Nestoriani, Calvin.

§. XII. Non tantum Persona, sed & essentia s. Natura Filii DEI est incarnata. Qvia persona non est, nisi essentia charactere personali notata. conf. 1 Tim. 3, 16. Joh. 1, 14. Contra Calviniani & Novatores.

§. XIII Christus homo immunis fuit à peccato omni, & qvidem ita, ut peccare nullo tempore potuerit. Idqve ob Sanctitatem tam originalem, qvia conceptus est è Spiritu S. qvam communicatam, qvia per unionem personalem ipsi datus est Spiritus S. sine mensura. Et hæc ἀναμαρτησία competit Christo non tantum in adultiore ætate; verum etiam in infantia & puerili. Ratio: Qvia omni tempore Sanctus Sanctorum fuit, & in unione personali.

nali. Ecqvod ergo tempus fuit, qvo Christus peccare potuerit? Contra Arminiani.

§. XIV. Duæ naturæ in Christo sunt unitæ, ut veteres contra *Nestorium* & *Eutychem* loqvebantur ἀχωρίστως, ἀδιαστάτως, ἀσυγχύτως & ἀτρέπτως. Qvæ unio personalis dicitur, estqve plane singularis, eaqve una saltem non duplex: Altera corporis & animæ: Altera divinæ & humanæ Naturæ. (1) Qvia alias in Christo & duæ forent personæ. (2) Qvia prior uno naturalis potius qvam personalis dicenda.

§. XV. Sic etiam unus saltem est Christus, non duplex, alter internus, alter externus. 1. Tim. 2, 5. Qvi idem etiam est, qvi in cordibus nostris habitat Ephes. 3, 17. Contra Qvakeri.

§. XVI. Uti post factam unionem personalem assumta caro nunqvam & nuspiam est extra & citra λόγον, ita & λόγος nunqvam & nuspiam est extra vel citra suam carnem, ita tamen, ut nec caro immensa sit, nec & λόγος includatur, finiatur, vel circumscribatur; sed & illa finita, & hic infinitus permaneat. Prob. (1) ex Coloss. 2, 9. Si vero tota plenitudo inhabitat, nec λόγος extra carnem, nec caro extra λόγον est. (2) Qvia duæ hæ naturæ ἀδιαστάτως sunt unitæ, ut antiqvitas loqvitur contra Nestorium. Contra Pontific. Calvinian. & Novatores.

§. XVII.

§. XVII. Prædicationes ex unione fluentes duplicis sunt generis. Aliæ *immediate* ex eadem fluunt, & dicuntur *personales*: Aliæ *mediate*, mediante scilicet communicatione idiomatum, & dicuntur *idiomaticæ*.

§. XVIII. Personales iterum sunt duplicis generis, aliæ ex *unitione*, aliæ ex *unione* fluentes.

§. XIX. Propositiones personales ex unitione fluentes sunt tales, in qvibus uno verbo λόγ☉. dicitur assumsisse carnem: Atqve sic subjecti loco stat *concretum personæ simplicis*; prædicati loco vero stat *actus unitionis cum natura humana* ἀνυπόστατῳ. Qvales prædicationes occurrunt, Joh. 1, 14. 1. Tim. 3, 16. Hebr. 2, 14. 16.

§. XX. Propositiones *personales ex unione* fluentes sunt, in qvibus *concretum naturæ prædicatur de concreto naturæ*, ut *DEus est homo, & homo est DEUS*. Qvæ ut eo melius intelligantur explicandi breviter erunt termini. *Concretum* alias in Logicis est talis terminus, *qvi exprimit formam vel naturam cum subjecto*. Hoc loco vero *concretum* est vel *personæ*, vel *naturæ*. *Persona* iterum est vel *simplicis*, qvo exprimitur *una saltem natura* cum *sua subsistentia propria*, qvæ est *Divina* ante unionem considerata, qvale subjectum est in *prædicationibus personalibus ex unitione* fluentibus: Vel *compositæ*, qvo *tota persona Christi, utraq; natura constans exprimitur*, vel *unica voce*, ut

Christum

Christus, Messias, Salvator, Immanuel, &c. (qvandoqve etiam *Filius hominis*, *DEUS*, *homo*, qvando scil. hi termini per *Synechdochen* pro tota Christi persona composita sumuntur. Nempe qvando *officium Christi & opus redemtionis* nostræ describitur, ut Gen. 3, 15. Matth. 18, 11. In his dictis nominatur *concretum naturæ humanæ*, sed non excluditur *Divina*, verum per Synechdochen *totus Christus* intelligitur, qvia ad officium concurrit utraqve natura. *Hœpsner. in Locis. p. 198. seq.*) Vel *periphrast*, ut λόγος *incarnatus*, *homo DEI factus*. *Concretum vero naturæ* est, qvo *non tota Persona Christi, sed unæ tantum naturæ exprimitur*; *sed cum connotatione tamen hypostaseos, in qua subsistit.* Qvæ natura si est *divina*, audit *concretum Naturæ Divinæ*, si est *humana* audit *concretum Naturæ Humanæ*. *Concreto* opponitur *abstractum*, qvod in Logicis alias *nudam exprimit formam*, ut *albedo*. Hic iterum est vel *personæ*, qvod cum *concreto naturæ* convenit, & qvidem *qvoad exempla*, qvamvis *in resolutione* Theologi differentiam aliqvam observent, cum qvatenus *abstractum personæ* sit, *personam principaliter* notet, *secundario naturam*, contra si *concretum naturæ* sit: Vel *abstractum naturæ*, qvod *nudam exprimit naturam & formam sine connotatione hypostaseos*, ut *DEitas absolute* spectata, prout tribus Personis communis est, *humanitas*. Ex his constabit,

qvid

qvid sit prædicatio *concreti naturæ de concreto naturæ* in *prædicationibus personalibus* ex *unione* fluentibus: *DEUS est homo & homo est DEUS.* Qvarum sensus simplicissimus hic est, qvod utriusqve Naturæ Divinæ & humanæ in Christo sit *una communis hypostasis*, qva arctissime & indissolubiliter uniuntur, qvod *DEUS s. Filius DEI in suam hypostasin assumserit Naturam Humanam, & qvod Homo sive Humana Natura in ipsam Filii DEI hypostasin sit evecta.* ut sensus propositionis: DEus est homo hic: *Filius DEI personaliter idem est, qvi filius hominis. & vice versa.*

§. XXI. Differunt autem *prædicationes* ex *unione* fluentes ab iis qvæ ex *unitione* fluunt. (1) ratione terminorum. In *unitione* subjectum est *Concretum personæ simplicis*: In *unione* subjectum est *Concretum Naturæ.* (2) & ratione *copulæ*, qvæ in *unitione* communiter stat in *præterito*: in *unione* in *præsenti* (3) ratione *reciprocationis*: In *unione* prædicationes sunt reciprocæ, non item in *unitione.*

§. XXII. Christus est Filius DEI naturalis, etiam secundum naturam humanam *personaliter*, & ex unionis gratiâ, non vero saltem Filius DEI adoptivus. Rectequé annumeratur prædicatio hæcce personalibus prædicationibus ex unione fluentibus. Fundamentum est Jerem. 23, 5, 6. & cap. 33, 4. Contra Scholastici, Socinian, Arminian, Novatores, aliiqve qvidam.

§. XXIII.

§. XXIII. Propositiones personales: DEus est homo & homo est DEus, non sunt verbales, nec identicæ, nec figuratæ, nec usitatæ, sed inusitatæ.

Contra Calviniani & Novatores.

§. XXIV. Communicata sunt carni Christi vere & realiter idiomata divina, eaqve *omnia*. Coloss. 2, 9. In specie omnipotentia. Matth. 28, 19. Omniscientia. Coloss. 2, 9. Omnipræsentia. Eph. 4, 10. Matth. 18, 20. cap. 28, 20. Potestas remittendi peccata. Matth. 9, 6. mittendi Spiritum S. Joh 16, 7. instituendi judicium. Joh. 5, 12. Gloria adorationis. Phil. 2, 10. &c. Qvamvis aliter prædicentur de H N. idiomata divina ἀνενεργήτως, nempe mediate; aliter ἐνεργητικῶς, nempe immediate.

Contra Calviniani, & Pontificii qvidam.

§. XXV. Prædicantur idiomata divina de H. N. per denominationem non extrinsecam, sed intrinsecam. (1) Qvia alias non tantum communicatio; Sed & ipsa unio personalis everteretur. Seqveretur enim divinam naturam non esse intime cum humanâ unitam; sed externe saltem adhærere: Qvalis enim est denominatio, talis & unio est. (2) Qvia unio est maxime intima & perichoristica (3) Qvia in carne Christi habitat tota plenitudo DEitatis. Coloss. 2, 9 &c. Contra Novatores.

§. XXVI. Tria dantur genera communicationis idiomatum: *Primum*, in qvo idio-

mata modo divina modo humana prædicantur de Christo secundum eam naturam, cui formaliter sunt propria. *Secundum* in qvo idiomata tantum divina prædicantur de humana Christi N. non ut formaliter propria; sed ut ex unionis personalis gratiâ communicata. *Tertium*, in qvo Apotelesmata prædicantur de Christo secundũ utramq; naturam. Hæ prædicationes sunt *idiomatica*.

§. XXVII. Ab abstractivis prædicationibus e.gr. *DEitas est Passa*, merito abstinemus. (1) Qvia in S Codice non habent fundamentum. (2) Qvia eas nulla urget necessitas. (3) Qvia facile scandalum possunt præbere. (4) Qvia in Antiqvitate semper fuere suspectæ.

§. XXVIII. Honor Christo homini exhibitus in ipso Christo etiam terminatur. (1) Qvia unio personalis est inseparabilis, qvæ vero revera separatur, si ab adoratione unius naturæ excluderetur altera. (2) Qvia Humana Natura in consortium Trinitatis est assumta. (3) id etiam postulat officii, qvod utriusq; naturæ est, relatio. Ita enim Christus noster mediator, Rex & Salvator. 1. Tim. 2, 5. Contra Arminiani, Calvinian. Socinian.

§. XXIX. Omnino & Christus cultu religioso fuit adoratus, & adorari debuit, cum inter mortales adhuc versaretur. Matth. 2, 2, c. 11. 2, 25. c. 16, 16. c. 21, 9. &c. Contra Chauvin.

§. XXX.

§. XXX. Christus in N. T. nullas novas leges dedit. (1) qvia nullibi legitur novas leges dediſſe. (2) Qvia Lex Moſis fuit perfecta, cui nihil addi debebat, nec ab ea qvid demi. (3) Qvia ipſe Chriſtus Legem Moſis perfectam judicat. Matth. 22, 25. dum nominat præceptum maximum. (4) Qvia finis officii Chriſti non fuit novas leges dare, ſed datam explicare & implere. Contra Sociniani.

§. XXXI. Unum, non duplex fuit Chriſti ſacerdotium, Aaronicum & Melchiſedecianum. Cum ſacerdotium Chriſti ſit unicum ab Aaronico diſtinctum. Hebr. 7, 11. & idem tamen æternum. ibid. v. 22. & cap 6, 10 Contra Hammond.

§. XXXII. Satisfactio Chriſti abſolute fuit neceſſaria. Nam ſi & ſine ea DEus fuiſſet propitius, tum læſiſſet (1) Naturæ ſanctitatem, qvia non odiſſet peccatum. (2) juſtitiam, qvia dignosmorte non puniviſſet. (3) veritatem ſuam: *Morte morieris* retractaſſet. (4) Legem ſuam moralem, qvia maledictionis reos ſimpliciter abſolviſſet. Contra Sociniani, & Arminiani.

§. XXXIII. Chriſtus Mediator & Satisfactor & Redemtor noſter eſt ſecundum utramqve naturam. Qvia eum ita Scriptura deſcribit. De Divina Natura. vid. Act. 20, 20. Gal. 4, 4. 1. Joh. 1, 7. &c. De humana Natura. vid. 1. Tim. 2, 5. Luc. 19, 56.

Gen.3,15. &c. Contra Stanekarus & Osiander, item Pontif. & Calviniani.

§. XXXIV. Christus satisfecit pro omnibus omnium hominum peccatis, peccatorumqve pœnis. Probatur (1) ex clarissimis dictis. Jes.53,6. 2.Cor.15,14. 1.Tim.2,6. Hebr.2,9. &c. (2) Qvia Christus dicitur pro iis omnibus mortuus, qvi peccato Adami sunt infecti. Rom.5,19. seq. (3) Qvia Christus etiam pro iis dicitur mortuus, qvi pereunt. 1.Cor.8,11. Rom.14,15. Hebr.10,29. 2.Petr.2,1. Contra Calviniani & Jansenist. Imo etiam pro impœnitentia finali satisfecit. Qvod probatur à *Meisner. in Qv. vex.* (1) ex iisdem argumentis, qvibus jam probatum, Christum pro omnibus hominibus, omnibusq; peccatis satisfeciisse, jam vero impœnitentia finalis est peccatum. (2) Si finalis incredulitas non est expiata, vel qvatenus incredulitas, vel qvatenus finalis est. Si qvatenus incredulitas, tum pro nullo infideli Christus fuisset mortuus. Qvod absurdum. Si qvatenus finalis est, tum seqvitur, qvod Christus pro nullis damnandis, eorumq; peccatis satisfecerit. Ista enim omnia sunt finalia & damnandi in iis perseverant usqve ad finem. e. gr. qværimus: Num Christus pro finali avaritia Ananiæ, in qva mortuus Act.5,4.5. mortuus? Si negas, meritum Christi fit particulare: Si affirmas, de similibus idem judicandum esse inferimus.

mus? Si enim Christus pro finali avaritia, scortatione, luxu, &c. satisfecit, non videmus, cur non pro omni etiam finali impœnitentia in genere satisfactum sit, præsertim cum finalis avaritia, scortatio, luxus &c. nihil aliud sit qvam continuata & finalis in illis peccatis perseverantia, adeoqve specialis impœnitentia. (3) Qvoniam alias ob finalem incredulitatem nemo juste posset condemnari. Aliter tamen qvæstio hæc contra Calvinianos deciditur à *Quensted. in Syst. loco de peccato sect. 2. Qu. 19. p. 167.* seq. Nempe ita, ut dicat, satisfeciſſe Christum pro *finali impœnitentia*, non qvatenus *finalis* & *perseverans* est, sed qvatenus *impœnitentia* & *peccatum* est. Docens, perseverantiam *præcise sumtam per se* non esse *ἀνομίαν*, alias omnem perseverantiam etiam in bono esse iniqvitatem.

§. XXXV. Pro Angelis bonis Christus non satisfecit, neq; etiam pro angelis malis. Hebr. 2, 6. Contra Calviniani nonnulli.

§. XXXVI. Valet satisfactio Christi non solum ex divina acceptatione; sed etiam secundum se, & ex intrinseco valore. Est enim infiniti valoris. Act. 20, 28. 1. Cor. 6, 20. 1. Petr. 1, 18. seqq. &c. Contra Sociniani.

§. XXXVII. Satisfactio Christi proprie loqvendo non fuit civilis; Sed criminalis, & speciatim pœnalis, ad qvam alias reqviritur (1) pœnæ persolutio (2) ejusqve ad delictum

lictum proportio Qvæq; hoc loco est vicaria, ad qvam reqviritur (1) Surrogatio ſ subſtitutio. (2) culpæ translatio ſ. criminis alieni imputatio. (3) pœnarum luitio.

Contre Sociniani.

§. XXXVIII. Hinc nec proprie peccata noſtra poſſunt dici debita, qvalia ſunt *pecuniaria*. Comparantur qvidem peccata noſtra in oratione dominica ut & in parabola. Matt. 18, 24. cum debitis ſ. ære alieno, unde & ſatisfactio ſæpe comparatur expunctioni debitorum, qvorum DEus creditor ſit. Coloſſ. 2, 14. Sed tamen ultra tertium comparationis hoc ſimile non eſt extendendum, ne in Socinianismum incidamus. *Schomerus.*

§. XXXIX. Chriſtus non ſub ingreſſum in cœlis demum vel etiamnum offertur pro nobis in cœlis. Sed ut ſacrificium propitiatorium, oblatus fuit in terris, & qvidem ſemel, ut adeo Sacrificium miſſæ nullum habeat locum. Probatur prius ex Hebr. 1, 3. ubi expiatio dicitur facta anteqvam Chriſtus ad dextram DEI conſideret. (2) ex Hebr. 9, 26. ubi dicitur Chriſtus apparuiſſe in cœlis per hoſtiam ſuam Erg. Sacrificium præceſſit (3) ex oblatione Chriſti. 1. Petr. 2, 24. Qvod nonniſi jam in terra factum fuit. (4) Ex purificatione peccatorum noſtrorum, qvi actus Sacerdotalis eſt, fatentibus adverſariis, & facta effuſione ſangvinis.

nis. Hebr. 9, 22, 14. Matt. 27, 28. Apocal. 1, 5. qvam in terra factam esse constat. (5) Qvia Sacrificium est mactatio. 1. Cor. 5, 7. Ephes. 5, 2. Qvæ itidem nonnisi in terra facta est. Posterius sæpius inculcat epistola ad Hebræos cap. 7, 17. c. 9, 26, 28. cap. 10, 10, 12. Contra Sociniani & Pontificii.

§. XL. Christus certa ratione sibi ipsi obligatus pariterqve & offensus & mediator esse potuit. 2. Cor. 5, 19. Rom. 5. 10. Contra Sociniani.

§. XLI. Redemit nos Chtistus obedientia sua tam activa qvam passiva. Id est legis exactissima impletione, & pœnarum à nobis transgressoribus promeritarum perpessione s. acerbissima passione. vid. Loca Ps. 40, 7. Matth. 5, 17. Gal. 4, 4, 5. Item Rom. 8, 32. Hebr. 9, 15, 28. cap. 10 10. 1. Petr. 2, 24. &c. Contra Photiniani, Calviniani qvidam & nonnulli alii.

§. XLII. Christus pro se legi DEI non fuit obnoxins, sed nostri loco eam plene & perfecte implevit. Qvia pro nobis est datus, & noster mediator. Es. 9, 3. Rom. 8, 32. Gal. 3, 20. Nec pro se obnoxius esse potuit. Qvia non erat peccator. Es. 53, 9. Joh. 8, 46. 2. Cor. 5, 21. 1. Petr. 2, 22. 1. Joh. 3, 5. Contra Pontif. Calviniani qvidam, Socinian. & Arminiani.

§. XLIII. Mors Christi non tam pacificis & voluntariis tantum qvam expiatoriis Sacrificiis V. T. respondet. Qvemadmodum ex tota ratione mortis

Christi satisfactoriæ constat. Contra Socinianos.

§. XLIV. Meritum Christi accurate loqvendo est valor ille Satisfactionis Christi coram DEO, cujus valoris æstimatio cum in intellectu divino fuerit æterna, ipsum meritum, & si ordine posterius Satisfactorio actu; tempore tamen prius & in V. T. & ab æterno extitisse recte dicitur. *Schomerus.*

§. XLV. Meritum Christi justificationis & salutis causa physica est, non moralis, multo minus moralis instrumentalis. Probatur *primum* ex definitione causæ physicæ, qvæ realiter ac re vera in effectum influit; jam vero ita influit meritum Christi. *Secundum* probatur ex negata definitione causæ moralis, qvæ ita se gerit, ut intuitu effectus culpa aut meritum in ipsa resideat, licet in effectum non influat re vera esse, describente Stahlio, sive qvocunq; demum alio modo descripseris; applicatio tamen ad meritum nullo modo fieri potest. *Tertium* probatur (1) ex jam negata definitione causæ instrumentalis, utpote qvæ à principali assumitur & elevatur in ratione producendi effecti, ut per illam efficiatur aliqvid ultra mensuram propriæ actionis. Qvæ rursus citra absurditatem hic applicari neqveunt. (2) ex absurdo, qvia contradictio in adjecto est, esse causam moralem & instrumentalem. Causa moralis enim est *causa qvædam principalis, instrumentalis* vero est *minus principalis.*

Contra Novatores.

§. LXVI.

§. XLVI. Christus etiamnum intercedit pro nobis in cœlis. Rom. 8, 34. Hebr. 7, 24, 25. c. 9, 24. c. 7, 24. 1 Joh. 2, 1. Contra Socinianos, Calviniani & Pontificii qvidam.

§. XLVII. Intercessio Christi æq; ut satisfactio qvoad fructum in æternum valebit, qvoad actum autem in altera vita non videtur locum habitura, cum non detur objectum inter beatos, cui qvid deerit.

§. XLVIII. Christus Rex fuit non nuda saltem designatione ante resurrectionem; sed jus & facultatem agendi jam in terris in diebus carnis habuit sine ullo defectu, adeoqve jam ab ipsa conceptione Rex fuit super omnia, licet in statu exinanitionis particulariter saltem exercuerit; Sic enim ante resurrectionem omnia in manibus habuit Matth. 11, 27. Joh. 3, 35. Omnia cum Patre fecit. Joh. 5, 19. Perinde ac Pater qvæcunq; voluit vivificavit. Joh. 5, 21. ut Pater honoratus fuit v. 23. etiam in formâ Servi DEO æqvalis. Phil. 2, 6. Contra Pontif. Calvin. Socinian. & Syncret.

§. XLIX. Christus non absens; sed præsens dominatur his in terris in medio inimicorum. Ps. 110, 2. In medio candelabrorum. Apoc. 1, 13. In Sacramentis. 1. Cor. 10, 16 in medio. Matth. 18, 20. c. 28, 20. Et cordibus fidelium. 2. Cor. 13, 3. Eph. 3, 17. adeoqve in cœlo & in terra. Joh. 3, 13. Eph. 4, 10, 20, 23. Jer. 23, 24. Contra Socinianos.

§. L. Christi Regnum est æternum. Luc.

1,33. Pſ.45,7. Ebr.1,6,8. Apoc.11,15. &c.

Contra iidem.

§. LI. Exinanitio Chriſti non conſiſtit in nuda κένωσι. (1) Qvia Scriptura §. ſic nul-libi loqvitur. (2) Qvia talis occultatio Chriſto etiam ſecundum divinam naturam competeret, ſecundum qvam tamen non eſt exinanitus. (3) Qvia Scriptura exinanitionem complexe & collective talem deſcribit privative per evacuationem realem formæ DEI, & aſſumptionem formæ ſervi. Phil.2,6,7. Jam ubi datur abſentia habitus debiti, & poſitio habitus contrarii, ibi nulla datur occultatio. (4) Qvia alias ſeqveretur ſtatum Chriſti exinanitionis fuiſſe ſaltem apparenter talem, Chriſtum non vere fuiſſe in agone, non vere fuiſſe paſſum, & qvæ his ſunt ſimilia. Sed potius exinanitio conſiſtit in formæ DEI, ſeu pleni & inceſſantis uſus Majeſtatis Divinæ vera & reali; voluntaria tamen & temporaria abdicatione. Phil.2. Contra Tubingenſes.

§. LII. Anima Chriſti non ſaltem ſecundum facultatem inferiorem ſed & ſuperiorem paſſa eſt. Matt.26,38. ſeq. c.27,46.

Contra Scholaſtici.

§. LIII. Chriſtus tempore paſſionis ſuæ veros dolores infernales ſenſit. Qvod probatur (1) ex locis Matth 26,38. Marc.14,33 (2) ex deprecatione calicis. Luc.22,44. (3) Ex ſudore ſangvineo. (4) Ex qverela Chriſti derelicti. Matth. 27,46. Pſ. 22,1. (5) ex eo, qvia dicitur pro nobis factus maledictum.

dictum. Gal.3, 13. (6) Qvia & pœnas peccati Christus sustulit. Es.53, 4. (7) Qvia alias Christus non plenissime satisfeciſſet.

Contra Pontif. Calvinian. Sociniani Arminiani & Novator.

§. LIV. Christus & in triduo mortis verus mansit homo. Qvod probatur (1) ab inseparabilitate unionis personalis. Cum enim per hanc factum sit, ut DEus esset homo, & homo DEus. Ergo qvousq; unio personalis durat, verum qvoq; erit Christum esse hominem. Durat autem illa etiam in Triduo mortis. (2) A manifesto Scripturæ indicio, qvæ Christum vocat Regem & sacerdotem æternum. Ps.110, 4. Ergo & homo æternus erit. (3) ab officii Christi ratione. Id enim perficitur à DEO & homine, si itaq: in maximo qvodam exinanitionis gradu, morte scilicet, Christus homo non fuit, tunc per DEum solum redempti sumus, qvod absurdū est. (4) Qvia & in morte expresse Christus dicitur homo. Matth. 12, 40. Luc. 23, 47. (5) Qvia & sangvis ex latere mortui Christi effluxit Joh. 19, 34. Qvi certe sangvis fuit verè humanus, sangvis verum arguens hominem. (6) Ab hypostasi duas naturas personaliter terminante, in qva & in triduo mortis fuit humana natura. Et agnoscenda in hoc exemplo differentia est ab aliis hominibus mortuis, qvorum separatæ partes non ab una communi suppositalitate terminantur. Sed eandem amittunt.

Absurdum ergo erit in hac morte Christum vocare cadaver, qvia Deus non permissurus ut sanctus ejus corruptionem videret.

Contra Scholastici, Sociniani, & Nonnulli ex Nostratibus.

§. LV. Nihilominus tamen manente vinculo personali revera ruptum fuit vinculum naturale, qvod fuit inter animam & corpus. Ita ut anima Christi mortui etiam qvoad distinctum locum s. ☞ a suo corpore triduo mortis vere separata fuerit. Qvod probatur (1) ex mortis Christi veritate. (2) Ex Scripturæ locis Luc. 23, 46. Matth. 27, 50. Joh. 10, 17, 18. Cont. Tubingens.

§. LVI. Christus secundum humanam, non secundum divinam naturam exinanitus & exaltatus est. Sola enim humana natura deteriorationis & meliorationis capax est. Contra Calviniani.

§ LVII. Descensus ad inferos non spectat ad statum exinanitionis, nec ad statum aliqvem intermedium; sed ad statum exaltationis. Qvia in hoc descensu Christus plane nihil passus est; sed ut gloriosissimum se stitit Victorem.

§. LVIII. Descensus ad inferos non est figuratus sed verus realis ac proprius, qvi ut articulus fidei probatur (1) ex apertissima & propriissima Scripturæ litera, Ephes. 4, 8, 9, 10. & 1. Petr. 3, 18, 19, 20. (2) Ex certis rationibus (α) qvia re vera omnes infernales hostes debellavit, ergo etiam realiter ad eosdem descendit. (β) Articulus hic maxime

maxime cognitu necessarius ad salutem est, ergo & omnino articulus fidei est. (3) Ex Antiqvitatis consensu. Contra Pontif. Calvinian. Socinian. & Novatores.

§. LIX. Christus propria virtute divina resurrexit, ita ut (1) Christus ut DEus, vel qvoad divinam naturam se ipsum ut hominem in mortem traditum ex mortuis excitaverit per virtutem vivificandi sibi essentialem, vi dictorum. Joh. 10, 30. 1. Joh. 5, 7. Joh. 5, 26. Joh. 10, 18. 1. Petr. 3, 18. Rom. 1, 4. &c. (2) Et ut homo vel secundum humanam naturam se ipsum suscitavit per virtutem vivificatricem personaliter sibi communicatam. Qvod probatur (1) ex arctissima Divinæ & Humanæ Naturæ unione & inde consecuta ad Humanam naturam idiomatum vere divinorum communicatione. Matt. 28, 18. Col. 2, 10. (2) Ex illis locis, in qvibus resuscitatio toti personæ Christi vindicatur, à qva persona humana non est excludenda. Joh. 2, 18, 13. c. 10, 17. (3) Qvia Christus ut homo etiam virtute illa divina personaliter sibi communicata in diebus carnis alios excitavit. (4) Ex resurrectionis fine, qvi est nostra justitia. Rom. 4, 25. à qva humana natura non est excludenda.

Contra Calvinian. & Socinian.

§. LX. Sessio ad dextram DEI non inclusionem localem; sed universale illud Christi Dominium, idq; non finitæ saltem; sed infinitæ potestatis designat. Qvod probatur

batur (1) ab expressa regiminis commemoratione. Ps. 110, 2. Dan. 7, 13, 14. collat. cum Luc. 1, 32, 33. (2) A glorioſa poteſtatis æternæ ac regni inceſſantis Chriſto per ſui exaltationem facta collatione ac abſoluti Regis ac Domini ſuper omnes dominatus inſtitutione ac proclamatione. Ps. 2, 6, 8. collat: cum Hebr. 1, 5. c. 5, 5. Ps 8, 6. collat. cum Luc. 1, 33. Act. 2, 36. c. 5, 31. Epheſ. 1, 20, 21, 22. Phil. 2, 11. (3) à genuina dextræ DEI in ſacris literis ſignificatione, qva illa nihil aliud notat, qvam infinitam Dei potentiam, qvam DEus in genere exerit in potentiſſima hujus univerſi gubernatione. Ps. 89, 14. Ps 139, 10. Eſ. 48, 13. In ſpecie vero & in miſericordia ac beneficentia erga pios. Ps. 18, 36. Ps. 20, 7. Ps. 77, 11. Eſ. 41, 10. & in ira ac vindicta adverſus impios. Exod. 15, 6, 12. Ps. 21, 9. Hinc & in applicatione ad ſeſſionem Chriſti vocatur dextra virtutis DEI. Luc. 22, 69. majeſtatis in excelſis. Hebr. 1, 3. dextra throni majeſtatis in cælo. Hebr. 8, 1. thronus DEI. cap. 12, 2. (4) A Sceptri regalis in ipſa exaltatione conceſſione Ps. 2, 8. Ps. 45, 7. Ps. 110, 2 Ebr. 1, 8. (5) A nominis excellentioris acceptione. Phil. 2, 9. Qvod nomen cum ſingulari qvodam regimine conjunctum eſſe ex Phil. 2, 10, 11. Hebr. 1, 6, 8. ſatis conſtat. (6) Ab humili ac devota omnium creaturarum ſubjectione Chriſto per exaltationem facta. Ps. 8, 7, 8, 9, 10. Hebr. 2, 7, 8.

Ps. 97,

Pſ 97,7. Hebr. 1, 6. Pſ 110, 3. Phil. 2, 10, 11. Eph. 1, 21, 22. 1. Petr. 3, v. ult. Apoc 4, 3.
Contra Pontif, Calviniani Socinian, & Arminiani.

CAPUT XIV.

De *Vocatione.*

§. I.

OBligamur DEO noſtro ob gratiam vocationis, qvam credimus.

§. II. Vocatio hæc gratioſa non per Legem fit, ſed per Evangelium. (1) Qvia vocatio eſt opus gratiæ. Gal. 1, 15. 2. Tim. 1, 9, Rom. 9. 12, 16, 24. ſeq. adeoq; nō poteſt proficiſci à lege, qvæ concio iræ eſt. Rom 4, 15. (2) Qvia vocatio offert beneficia per Chriſtum acqviſita, circa qvæ non verſatur lex, ſed ſolum Evangelium. (3) Ex autoritate tertii articuli Symboli Apoſtolici explicati: Der Heilige Geiſt hat mich durch das Evangelium beruffen. Contra Pietiſtæ.

§. III. DEus omnes & ſingulos homines per univerſum terrarum orbem ad regnum gratiæ ſerio vocat. Dicta hæc probantia duabus claſſibus à Theologis ſolent includi. Prima eſt eorum, qvæ vere id aſſerunt ut. Eſ 55, 1. Matth. 11, 28 c. 28, 29 Marc. 16, 15. &c. Secunda eorum, qvæ aſſerunt, qvod DEUS

vere

vere & sincere vocet etiam reprobos ac pereuntes. Ps. 95, 8. prov. 1, 24. Es. 1, 16. c. 26, 10. 55, c. 6, 7. c. 65, 2. c. 66, 4 Jer. 7, 13. Matt. 3, 1. c. 23, 37. His accedunt adhuc aliæ rationes, ut (1) à DEI veritate & sinceritate, qvæ periclitaretur, si DEus non omnes vocaret. vel si foris gratiam offerret, intus vero contrarium decerneret. (2) à contemtu gratiæ, qvi vero eam contemnunt, ad illos ea attinet. Atqvi infideles & damnandi contemnunt gratiam. Rom 2, 8. (3) à periculo desperationis. Si enim ad paucos tantũ vocatio pertineret, consolatio in peccatis erit incerta. (4) à perceptione Sacramentorũ, per qvæ & offertur gratia, sed non soli electi verum & damnandi utuntur Sacramentis. (5) A damnatione infidelium. Damnatio vero est propter incredulitatem; incredulitas autem nihil aliud est, qvam nolle credere ad se pertinere gratiam oblatam. &c.

Contra Calviniani.

§. IV. Vocatio est efficax naturâ suâ. (1) Qvia fit per verbum, qvod semper est efficax, qvia est potentia DEI. Rom. 1, 16. (2) Qvia alias DEus argveretur hypocriseos, qvasi id promittat verbis in vocatione externa, ad qvod neget arcana voluntate efficaciam, ad promissa præstanda necessaria. Hinc & distinctio illa vocationis in efficacem & inefficacem, internam & externam in sensu Calviniano nulla est.

§. V.

§. V. Lutherani ad prædicationem verbi apud *Barbaros* instituendam simpliciter non tenentur. Sic enim plantatâ nunc ecclesiâ sonus de vera ecclesia ad omnes mundi terminos jam percrebuit. Nec locus est in universo forme orbe, ad qvem non Christiani proficiscantur. Qvæ omnia non sine usu sunt.

§. VI. Ut *Vocatio* ita etiam *revocatio* est *universalis*, neminem excludens, nec *maxime indurarum*; Gratiæq; hujus nullus in hac vita datur *terminus peremtorius*. Probatur (1) ab Universali DEi voluntate erga omnes, etiam gravissimos peccatores, etiam morientes. 1. Tim. 2, 4. Ezech. 18. 23. Cap. 33, 11. Quod si vero hic exciperentur peccatores maxime indurati, periret universalitas. (2) Qvia DEus & gravissimos peccatores vocat & revocat *toto die*, Es. 65, 2. (3) Qvia totum tempus hujus vitæ est *tempus gratiæ*, qvo gratia haberi potest. 2 Cor. 6, 2. (4) Qvia & maxime indurati gratiam & longanimitatem DEi contemnunt, Rom. 2, 4, 5. Ergo necessario ipsis offertur. (5) Qvia contraria sententia vel ob solum horrendum terminum fit suspecta. Et (6) omne solatium adimit ac ad desperationem ducit, ac denique (7) Novatianismum sapit. Contra Terministæ.

CAPUT. XV.

De Conversione.

§. I.

OBligamur DEO & ob conversionis Gratiam, qvam credimus.

§ II. Conversio est opus solius Spirit⁹S. in qvo homo se habet *mere passive*, qvia se ipsum convertere non potest. Matth. 12, 34. Jer. 13, 23. 1. Cor. 12, 3. Joh 6, 44. c. 15, 5. Ephes. 2, 1, 18. Nec ullam habet conversionis sui *potentiam activam*, seu *remotam* seu *proximam*, ut constat ex argumentis jam supra in L. de *Libero arbitrio* adductis. Nec habet *potentiam passivam naturalem*, sic enim DEo & Legi subdi non potest. Rom. 8, 7. sed *mere obedientialem* saltem. Phil. 2, 13. Qvæ ἱκανότης *obedientialiter passiva* etiam à *Gratia præveniente* est. Considerant tamen Theologi hominem dupliciter (1) *Absolute*, & sic non habet *potentiam passivam* ad sui conversionem, uti jam dictum, (2) Comparate ad lapidem vel diabolum, & sic habet: sed *remotam* non *proximam*. Non habet ad ipsam conversionem, sed saltem ad media conversionis. *Osiand. in Collegio Theologico System: Loc. 8. §. 19. part. 3. p. 201.* Contra Pelagiani, Semipelag. Sociniani, Arminiani, Pontificii, Synergistæ, & Novatores.

§. III. Potentia illa in homine jam renato non est excitatio vel adjutorium præexistentis facultatis, sed plane nova introducta. Sic enim *cor lapideum* non emendatur, sed plane aufertur & novum aliqvod inditur. Ezech. 36, 26. c. 11, 19. Contra Pontificii & Arminiani.

§. IV.

§. IV. Conversio non fit sine verbo, aut ante verbum, sed per verbum prædicatum, quod Lecto hic non contradistingvitur. Quod probatur (1) Ex institutione. Matth. 10. 1. c. 28. 18, 19. Rom. 1, 16. (2) Ex rejectione alterius medi revelantis. Luc. 16, 29. (3) Ex Officio verbi proprio. Jes. 8, 20. Rom. 10, 17, 18. seq. Act. 11. 14. 2. Cor. 10, 5. 1. Petr. 1, 23 &c. (4 Ex inductione plurium exemplorum & vel (5) Ex defectu vel unius contrarii. Act. 2, 37. c. 8, 35. seq. Joh. 1, 46. c. 4, 29, & 52. Contra Calviani. Enthusiastæ &c.

§. V. Conversio fit vi illa verbi divina & licet *nobis supernaturali*; tamen *sibi* maxime *naturali*. Rom. 1, 16. Hebr. 4, 12. adeoqve non per *spasionem moralem* aut *objectivam*. Probatur (1) Ab incapacitate intellectus humani. 1. Cor. 2, 14. Ephes. 4, 17. seq. (2) à rebellione naturali voluntatis. Rom 8, 7 c. 7, 18. Gal. 5, 17. (3) Qvia nuda svasio moralis non confert vires; sed eas in subjecto præsupponit, atqve hinc (4) Contraria assertio *Pelagiana* est. Contra Arminiani, aliiqve.

§. VI. Ad conversionem requiritur non silentium quoddam seu abstractio mentis ab omni meditatione; sed usus verbi externus & meditatio ac reminiscentia interna Es. 8, 20. Luc. 8, 15. Act. 16, 14. &c. Contra Quakeri & Fanatici.

§. VII. Uti Scriptura nullam *absolutam* & *peremptoriam* electionem agnoscit, ita nec

etiam novit gratiam qvandam *discriminativam electionem* hanc præviam habentem, ex qva homines qvidam absolute & necessario convertantur.

§. VIII. Conversio fit *successive*, adeoqve gratia convertens suos habet gradus, qvorum *B. Königius* qvinqve recenset, ut *primus* sit gratiæ prævenientis, *secundus* præparantis, *tertius* operantis, *quartus* excitantis, *quintus* perficientis. Ita ut primi effectus sit naturalis incapacitatis sublatio. *Secundi* morosæ repugnantiæ impeditio. *Tertii* virium credendi collatio. *Qvartis* mentis voluntatisqve ad actualem fidem excitatio. *Qvinti* plenæ fidei collatio. Qvamvis alii numerum hunc contrahant, *tres* saltem gradus afferentes. Qvorum *primus* est gratiæ prævenientis seu excitantis, qvi incapacitatem naturalem tollit, eoqve ipso vires credendi largitur, qvod *B. Königius primo & tertio* gradui tribuit. *Secundus* gratiæ operantis seu perficientis, qvæ actualem fidem & conversionem largitur, qvod *Königius* in *Secundum qvartum* & *qvintum* gradum distribuit. *Tertius* cooperantis, qvæ credentem ad vitæ emendationem renovat, homine per vires cœlitus acqvisitas pariter in id cum Spiritus S. auxilio enitente. Qvem gradum alii *Theologi* ad caput de *renovatione* rejiciunt. Alii *qvatuor* habent gradus, nempe *prævenientis, præparantis, operantis & adjuvantis*. conf. hic

hic plane elegantissimam disputationem *Magnifici Dn. D. Johannis Fechtii, parentis mei in Christo omni filiali obsequio colendissimi*, (Qvem optimus Medicorum Princeps DEUS T. O. M. mox in totis Ecclesiæ emolumentum à morbo liberare velit, est quod ex intestinis, ab ipso DEO per vulnera Christi submisse rogo atqve peto) *De ordine modoqve gratiæ divinæ.*

§. IX. Conversio non est irresistibilis, sed resistibilis. Prov. 1, 24. Jes. 65, 2. Matth. 23, 37. Actor. 7, 51. Equidem qvod *primos motus* à gratia *præveniente* excitatos attinet, sunt illi qvidem inevitabiles, non tamen irresistibiles. Contra Calvinian.

§. X. Qvamvis in conversione terrores conscientiæ locum habeant, illiqve interdum etiam corpus in consensum trahant; non tamen æqve tremor ejusmodi, qvi & luminis interni & immediati influxu & naturæ reluctantia oriatur, datur. Nullibi enim in Scriptura S. de eo qvid legitur. Contra Qvakeri.

§. XI. Locutio illa Homiletarum: GOtt bekehre die zu bekehren sind à plurimis qvidem non ex mala mente profertur; Sed tamen non videtur accurata esse (1) qvia non est fundata in S. codice. (2) qvia revera terminum gratiæ interminabilis ponit. (3) qvia nemo nisi diabolus absolute inconvertibilis dici potest.

CAP. XVI.

De

Illuminatione.

§. I.

OBligamur DEo ob gratiam illuminantem, qvæ gradus est conversentis, de qva præcedente capite. Qvam credimus.

§. II. Illuminatio & Revelatio hodie non sunt unum idemq; Nam (1) revelatio est causa, illuminatio effectus. 2. Cor. 4, 6. (2) revelatio immediate à Spiritu S. est, illuminatio vero non nisi mediate ex verbo hodie est 2. Tim. 3. 14, 15 2. Petr. 1, 19. (3) Revelatio Prophetis & Apostolis facta, illuminatio vero & aliis contingit.

Contra Novatores.

§. III. Hodie nulla illuminatio fit immediate sed mediate perverbum. Jes. 8, 20. Gal. 1, 8. Luc. 16, 29. Ebr. 1, 1. Contra Enthusiastæ & hodierni Fanatici

§. IV. Verbi Præcones vere & proprie dicuntur illuminationis causa ministeriales. 1. Cor. 3, 9. 2. Cor. 6, 1. Actor. 26, 18. Ephes. 3, 9. Contra Novatores.

§. V. Sanctificatio illuminationem non antecedit, sed seqvitur, & hæc sine illa esse potest. Probatur *prius* (1) Ex clarissima scrip-

Scripturæ litera, qva illuminatio præponitur, ut Sanctificatio seqvatur. Coll. 1, 9, 10. (2) Qvia illuminatio ad *intellectum*, sanctificatio & ad *voluntatem* pertinet. *Nihil vero est in voluntate, qvin prius fuerit in intellectu.* Hinc & notitia præreqviritur, anteqvam credere & mala fugere aut bona operari qveamus. Joh. 1, 7. c. 15, 22. (3) Si Sanctificatio præcedit illuminationem, seqvitur hominem aut sine notitia, aut per lumen solius naturæ, qvod nondum illuminatis adest, converti. *Illud* est *Fanaticum*, *hoc Pelagianum*. Probatur *posterius* exemplis *Bileami*, *Judæ Iscariotæ* & *operatorum iniqvitatis*. Matth. 7, 22, 23. Luc. 12, 47. Contra Novatores.

§. VI. Et Doctor ecclesiæ qvoad vitam improbus illuminare alios potest. Matth. 23, 2, 3. Adde argumenta, qvibus jam supra probavimus *Theologiam hominis impii esse veram*. Contra Pietistæ.

§. VII. Literalis notitia hominis impii, in qvantum verum scripturæ sensum continet, vera proprieqve dicta illuminatio est. Probatur (1) Qvia illuminationem & sine sanctificatione esse posse jam probavimus. (2) Ex aliis adhuc assertis Scripturæ. Rom. 2, 18, 19. c. 21, 22. 2. Petr. 2, 21, 22. Contra iidem.

§. VIII. Tota fidei analogia ex natu-

ræ lumine vel lumine primi articuli sine speciali Spiritus S. illuminatione hauriri neqvit. Probatur (1) Ex clarissima Scripturæ litera. 1. Cor. 2, 14. 2. Cor. 3, 5. Matth. 16, 17. (2) Qvia contraria assertio favet *Pelagianismo*. Contra iidem.

§. IX. Eruditio accademica illuminationem veram non impedit. Probatur (1) Qvia hæc eruditio se habet ut effectus illuminationis homini mediantibus Præceptoribus à DEo impertita. 2. Sam. 12, 24, 25. 2. Tim. 3, 14. (2) ex Exemplis *Mosis*. Actor. 7, 22. *Salomonis*. 1. Reg. 4. 3, seq. *Pauli*. Tit. 1, 12. Qvorum eruditio illuminationem non impedivit Contra iidem.

§. XI. Seculum majoris revelationis expectandum, est utopicum. Probatur (1) Qvia nullibi id promissum. (2) Qvia canon Scripturæ est clausus. Joh. 20, 31. c. 21, 24. Apoc. 22, 18. seq. (3) Qvia ante extremum diem non nisi pessima in S. scriptura sunt prædicta tempora. Contra iidem.

CAPUT XVII.

De *Pœnitentia*.

§. I.

OBligamur DEO ob vires pœnitendi datas, qvam credimus.

§. II. Pœnitentia non est juris natu-

naturalis. Probatur (1) qvia nullo idoneo argumento hic DEum placandi modus ex lumine naturæ poterit elici. (2) qvia via redeundi ad DEum & doctrina reconciliationis cum DEO ad mysterium evangelii refertur. Coll. 2, 2. Contra Naturalistæ.

§. III. Una tantum est pœnitentia, ex lege & Evangelio oriunda, non duplex, *legalis & evangelica*. Probatur (1) ex autoritate Scripturæ, qvæ unius saltem pœnitentiæ meminit, cujus duæ sunt partes, *contritio* ex *lege*, *fides* ex *evangelio*. Marc. 1, 15. &c. (2) qvia statuendo duplicem pœnitentiam facile qvis putare posset, nos conspirare cum *Calvino*, cujus *Libr. 3. instit. cap. 4.* hæc est distinctio *pœnitentiæ* in *legalem* & *evangelicam*. Sed & malam fugiamus speciem. Contra Pietistæ.

§. IV. Vera pœnitentia minus recte dicitur *mere evangelica* ob *contritionem*, qvæ non ex *evangelio*; sed ex *lege* est, & *evangelium* non est *concio pœnitentiæ*. Contra iidem.

§. V. Pœnitentia sic dicta *legalis* sive *contritio legalis* minus recte dicitur *falsa*. Qvamvis enim ob defectum fidei non sit *salutaris*; ob *veritatem* tamen *legis vera* est. Siqvidem lex *ex vero* arguit, convincit, judicat, condemnat. Contra iidem

§. VI. Et renati opus habent qvotidiana pœnitentia: *Ratio* qvia qvotidie peccant; ut in *catechismo Lutheri* habetur: weil wir täglich

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1025697472/phys_0149
DFG

lich viel sündigen. Originali enim peccato ad huc sunt infecti, qvippe qvod nunqvam otiosum.

§. VII. Pœnitentiæ duæ saltem dantur partes *Contritio* & *fides*. Marc. 1, 15. Actor. 20, 21. c. 26, 18.

§. IIX. Nova obedientia *proprie* & *stricte* loqvendo non est *pars* sed *fructus* pœnitentiæ. Matt. 3, 8.

§. IX. Minus recte constituuntur *tres pœnitentiæ* partes: *Contritio cordis, confessio oris, & satisfactio operis.* (1) qvia è Scriptura probari neqveunt. (2) qvia confessio oris est actus mere accidentalis. (3) qvia mulcta illa Ecclesiastica, qvam nunc Pontificii *satisfactionem operis* vocant, olim non erat de essentia pœnitentiæ; sed ejus consequens adiaphorum. (4) Qvia satisfactio illa injuria est in satisfactionem Christi. Contra Pontificii.

§. X. Minus recte ad *partes pœnitentiæ* referuntur *mortificatio carnis* & *vivificatio Spiritus*, sive *veteris hominis interitus* & *renovatio Spiritus* sive *novi hominis*. Hæc enim ad effectus pœnitentiæ pertinent. Contra Calviniani.

§. XI. Janua pœnitentiæ patet omni, etiam infinities lapso. conf. jam supra contra terminum gratiæ peremptorium asserta.
Contra Novatiani & Terministæ.

§. XII. Pœnitentia non est Sacramentum proprie & specialiter sic dictum. Probatur

batur (1) qvia hic desunt Sacramenti requisita nempe externum & visibile elementum divinitus institutum (2) qvia nullibi ut Sacramentum est mandatum (3) qvia pœnitentia & in V. T. jam fuit. (4) quia pœnitentia non potest esse integra sine fide, qvæ tamen Sacramenti proprie dicti constitutionem non ingreditur. Contra Pontificii.

§. XIII. Confessio illa peccatorum privata, & qvæ hanc seqvitur absolutio sacerdotalis nequaquam est abroganda; sed in Ecclesia summo cum fructu retinetur. Probatur (1) qvia fundamentum suum habet in ipsa Scriptura S. Num. 5, 7. Levit. cap. 4. & 5. Jacob. 5, 16. Matth. 18, 18. Joh 20, 23. (2) qvia praxi Christi & Apostolorum hic ritus est comprobatus. Luc. 19, 7. seq Matth. 3, 1. seq. Act. 2, 23. seq. 2. Cor. 5, 18. (3) qvia ab Ecclesia est constitutus (4) obegregium usum partim ratione Ministrorum, qvi sic oves suas nosse discunt: Partim ratione auditorum tum immorigerorum, tum afflictorum. &c. Contra Novatores.

§. XIV. Nummum confessionalem qvi accipit, non peccat. Nullibi enim à DEO prohibetur, nec per se inhonesti qvid continet, sed potius pars qvædam stipendii. Nec tamen etiam peccat, qvi non accipit.

Contra iidem.

CAPUT.

CAPUT. XVIII.

De

Justificatione.

§. I.

OBligamur DEO & ob gratiam justificantem, qvam credimus.

§. II. Vocabulum justificationis *forense* habet significatum, non *physicum*. Probatur (1) ex inductione locorum Scripturæ S. (2) qvia justificatio describitur ut actus forensis. Adest *judex* Rom. 8, 33. *Reus* Rom. 3, 19. *Accusator*. Apoc. 12, 10. *Sententia condemnatoria* ex lege. Deut. 27, 26. *Convictio per testes*. Apoc 20, 12. *Advocatus*. 1. Joh. 2, 2. *Pretium redemtionis*. Rom. 5, 18. seq. *Sententia absolutoria*. Joh. 3, 16, (3) ex vocabulis æqvipollentibus, qvalia sunt *non condemnari*, *non venire in judicium*, *non imputare delicta*, *condonare*, *remittere*. Contra Pontificii.

§. III. Gratia justificans est misericordia & gratuitus DEI favor, non infusus charitatis aut Sanctititatis habitus, aut qvalitas nobis subjective inhærens. Probatur (1) qvia gratia & opera hic opponuntur. Rom. 3, 4. c. 11, 6. c. 5, 15, 16, 17. (2) ex ipso vocis gratiæ

tiæ usu. (3) ex effectibus gratiæ justificantis, qvales sunt peccatorum remissio. Rom. 4, 6. Electio. Ephes. 1, 6. &c. Qvis autem dicat per infusas qvalitates hæc fieri ?

Contra Pontificii

§. IV. Non ex absoluta qvadem gratia sed propter pleniſſimam Christi obedientiam justitiam & remissionem peccatorum conseqvimur, atqve ad hanc causam meritoriam nulla alia sive ex toto, sive ex parte, sive de congruo, sive de condigno, sive de rigore, sive κατ' ἐπέκτασιν concurrit. Rom. 3, 24. Ephes. 1, 7. Act. 4, 12. c. 10, 43. Rom. 5, 18, 19. &c. Contra Pontif. Socin. & Calvinian.

§. V. Obedientia Christi non solum *passiva* sed & *activa* ingreditur justificationem. Probatur (1) qvia Christus non venit solvere sed implere legem. Ergo etiam obedientia activa præstitit, ad qvod nos tenebamur. (2) qvia ut se habet Adam ad genus humanum transgrediendo, ita se Christus habuit ad illud obediendo; sed ille se ita habuit, ut per & propter transgressionem illius injusti simus constituti. Ergo justi constituimur per Christum, qvi pro nobis obedientiam præstitit. Rom. 5, 19. (3) addantur loca Rom. 8, 3. c. 10, 4. 1. Cor. 1, 30. Gal. 4, 4.

Contra Piscator.

§. VI. Justitia, qva coram DEo constituimur justi non est inhabitans nobis essentialis

lis DEI sive Christi justitia Probatur (1) qvia nullibi Scriptura id asserit. (2) a contraria Scripturæ descriptione. (3) qvia & Scriptura docet justificationem in remissione peccatorum consistere, sed vero ubi essentialis DEI justitia est, ibi remissione peccatorum non est opus. (3) Qvia & Scriptura causam formalem justificationis explicans docet justificationem nostram consistere in impletione legis & satisfactione per Christum præstita, nobis autem per fidem imputata; qvæ itidem non quadrant in justitiam essentialem. (4) qvia justitia, qva coram DEO sumus justi revelatur in Evangelio, sed *justitia DEI essentialis* est ignis consumens, intolerabilis plane homini peccatori. (5) qvia essentiali justitia nemo justus esse potest, nisi solus DEus. (6) qvia justitia essentialis est immutabilis, & sic sequeretur hominem justificatum non posse labi, quod absurdum.

Contra Andreas Osiander.

§. VII. Causa formalis justificationis est gratuita peccatorum remissio & justitiæ per Christum partæ imputatio. *Remissio* probatur (1) ex Luc. 1, 77. (2) ex exemplo publicani. Luc. 18, 13. (3) ex Actor. 13, 33. (4) ex Rom. 4, 5. (5) qvia cum Scriptura dicit nos Sangvine Christi justificari. Rom. 5, 9. id asserit alibi, quod fiat eo qvo lavamur & mundamur Sangvine Christi à

pec-

peccatis. 1. Joh. 1, 7. *imputatio justitiæ* Christi probatur (1) Rom. 3, 24. (2) Rom. 4, 3 (3) Rom. 5, 19. (4) Rom. 10, 3. (5) Rom. 8, 3. (6) 1. Cor. 1, 30. (7) 2. Cor. 5, 21. Ephes. 1, 6, 7. c. 4, 24. Contra Pontific. Socin. Arminian. & Novatores.

§. IIX. Causa instrumentalis justificationis ex parte nostra est fides, qva gratiam DEI ac meritum Christi apprehendimus, recipimus & nobis applicamus. Probatur (1) ex natura fidei, qvæ est apprehensiva objecti extra hominem existentis & appropriativa ejusdem. Jam vero accipere, apprehendere, recipere aliqvid, ex parte accipientis sunt actiones mere instrumentales, ut exemplo manus famelici extensæ ad accipiendam eleemosynam solet ostendi. (2) ex phrasi Scripturæ διὰ πίστεως. Licet autem vocula διὰ in justificatione de omni fere causarum genere in Scriptura usurpetur; speciatim tamen occurrit de *causa organica* ex parte nostra scil. fide (3) qvia fides à reliqvis justificationis causis distingvitur. (4) qvia gratia divina tanqvam *causa principalis* & fides tanqvam *causa instrumentalis* subordinantur. Act. 15, 9, 11. Rom. 3, 25. Gal. 3, 8, (5) qvia fides dicitur imputari non ut *causa principalis* nec tanqvam objectum, sed ut *organon receptivum*. Contra Pontificii. & Arminian.

§. IX. Sola fide justificamur sine operibus.

Pro-

Probatur (1) a clarissima Scripturæ litera, qvæ fidei hunc effectum tribuit. Habac. 2, 4. Matt. 9, 22. Rom. 4, 1. seq. (2) qvia fides & bona opera semper hic opponuntur. Rom. 3, 23, 24, 28. Gal. 2, 16. Ephes. 2, 8, 9. Tit. 3, 5. &c.

Contra Pontificii,

§. X. Lutherus inserens loco Rom. 3, 28. voculam allein / non commisit *crimen falsi*. Probatur (1) qvia & Christus istiusmodi particulam inseruit loco Matt. 4, 10. qvæ tamen non occurrit. Deut. 6, 13. (2) qvia Lutherus non saltem *Paraphrasten* sed & *Metaparaphrasten* hic egit, & ob genium lingvæ sensum melius exprimere non potuit. Vid. *B. Luth. epist. ad Lynckium. Tom. 5. Jenens. germ.* (3) ex more aliorum interpretum, imprimis septuaginta aliorumqve, qvi obsensum eo melius exprimendum sæpe voculam aliqvam adjiciciunt in fonte non occurrentem. (4) qvia Lutherus hunc locum non aliter vertit, qvam ut alias justificatio in Scriptura describitur. (5) ex consensu adversariorum. Sic enim occurrunt *antiqva Biblia germanica papistica*, qvæ Rom. 3, 28. habent allein durch den Glauben / ohne die Wercke der Ee. Talia vidit *Confluentiæ* in *Bibliotheca Jesuitarum B. Menzerus*. Simile exemplar dicitur videri in *Wonsidelien.* & *Hallensi Bibliotheca*. Vid. *B. Scherzerum in Syst. loc. 16. p. 437.* & *Danielem Franc. de Papistarum judicibus librorum prohibitorum & expur-*

expurgandorum. cap. 13. §. 184. p. 199. Contra Pontific.

§. XI. Gratiæ divinæ & justificationis suæ homo omnino potest esse certus. Vid. argumenta, qvibus jam supra certitudinem salutis probavimus. Contra Pontific. & Novatores.

§. XII. Omnis homo aut justificatus est & in gratia, aut non. Status hic intermedius nullus datur. Ratio: qvia justificatio est perfecta. Contra Pontific. Calvinian. & Fanatici.

§. XIII. Æstimatio illa DEI, in qva ponitur forma imputationis justitiæ Christi non est actio DEI pure interna & immanens, sed externa & transiens, qvatenus morales & forenses actiones transeunt in subjecta, cum mens judicis ipsis declaratur, & effectus ejus sentitur.

CAPUT XIX.

De

Regeneratione.

§. I.

OBligamur DEO & ob gratiam regenerantem, qvam credimus.

§. II. Regeneratio etsi varie à Theologis accipitur, planissime tamen omnium

mnium pro nostri adoptione, qva filii DEI constituimur & simul Spiritum renovationis accipimus, accipi potest. Regeneramur nempe, cum DEo nascimur filii, & propter hanc filiationem ad novitatem vitæ præparamur. Ita qvodammodo & cum justificatione ac Sanctificatione coincidit, & ab utraq; tamen tanqvam intermedium beneficium distingvi potest. Schomerus.

§. III. Prima regeneratio fit in Baptismo. Illa reiteratur, qvoties homo serio pœnitens Deo reconciliatur & justificatur.

§. IV. Regeneratio nullam essentialem mutationem formaliter infert. Ratio: qvia peccatum non est hominis substantia, sed accidens aliqvod. Contra Weigelian. & Fanatici.

§. V. Medium regenerationis fanatice dicitur reditus in se ipsum. Et sine autoritate S. Scripturæ ita statuitur, cum Scriptura S. potius regenerationem describat, qvod fiat per verbum & sacramentum, tanqvam genuina sua media. Præterea & dogma hoc est fructus Qvackerismi toties in Ecclesia rejecti. Contra iidem Fanatici.

§. VI. Inter regenitum lapsum, & eum, qvi nunqvam regenitus fuit, discrimen est. Probatur (1) qvia ille, qvi nunqvam regenitus fuit, etiam nunqvam fœderi DEI insertus est: Præstat autem, fœderi DEi insertum aliqvando fuisse; qvia DEus fœdus semel ictum

ictum à sui parte semper servat. Ps. 146, 6. Rom. 11, 29. 2. Tim. 2, 13. (2) Si DEus fœdus à sui parte semper servat, seqvitur, qvod jus ad fœdus illud revertendi ei, qvi descivit, semper integrum maneat: Hoc jure autem is, qvi nunqvam in fœdere fuit, destituitur. (3) qvi nunqvam regenitus fuit, plane extra regnum gratiæ degit: Qvi vero regeneratione excidit, propter baptismum subditus Christi manet; sed rebellis, qvi à Christo ad revertendum invitatur. Jerem 3, 12, 22. 2. Pet. 3, 9. reversusqve novo initiationis Sacramento non indiget. Vid. Dn. D. *Schelgvigii Synopsi. Controversiarum. p. 168.* Contra Novatores.

CAPUT XX.

De *Unione Mystica.*

§. I.

OBligamur DEo & ob gratiam inhabitantem, qvam credimus.

§. II. Per solam fidem, non etiam per charitatem unimur DEO. Probatur. (1) ex Ephes. 3, 17. Gal. 3, 26, 27. Joh. 6, 56. (2) qvia charitas seqvitur unionem

1. Joh. 3, 24. c. 4, 15. (3) qvia alias unio non foret beneficium mere evangelicum; sed & ad legem spectaret. Contra Novatores.

Helmstad. unionem mysticam constituunt ex donis

§. III. Unio Mystica cum DEo & Christo consistit in reali essentiæ ad cor fidelis approximatione sine extensione aut contractione essentiæ ejusdem, adeoqve non moralis tantum est secundum effectus dona, & operationes. Probatur (1) ex emphasi dictorum, qvibus DEus dicitur ad *Sanctos venire*, non donis ac operatione tantum; sed etiam propiori accessu, ut jungatur iisdem intimius. Joh 14, 23. *Venire* autem *ad aliqvem formaliter* non est aliqvid ei donare, sed est eidem approximare, ut accessu propinqviori qvoad substantiam se ipsi sistat. (2) ex emphasi locorum, in qvibus DEus dicitur *habitare in nobis*. Levit. 26, 11, 12. 2. cor 6, 16. (3) ex egregio loco. Gal. 4, 6. it. Rom. 7, 5. *Misit ut clamet*. (4) ex speciali Christi promisso. Matt 18, 20 Qvam vere ergo illi congregati sunt qvoad *substantialem præsentiam*, tam vere etiam Christus illis se *substantiali præsentia* sistit. (5) Specialiter huc facit illa Christi cum carne & sangvine suo approximatio ad nos qvam in S. Evcharistia nobis ordinavit. conf. *Formulam concordiæ. p. 618.*

Contra Pontific. Calvinian. & Novatores.

§. IV. Unio Mystica non est essentialis hominem DEificans, vel Christificans, ut qvis

qvis propter unionem hanc possit dicere: *Ego sum Christus.* Probatur (1) qvia nullibi Scriptura S. unionem Mysticam ita describit, nec illam phrasin habet: Ego sum Christus (2) qvia qvalis unio, talis etiam est prædicatio. Hæc vero unio non est *personalis.* Ergo nec *prædicatio personalis: Ego sum Christus* hic locum potest habere. Qvod & ulterius ex inductione omnium unionum non personalium probari potest, qvæ tales prædicationes non admittunt. e. gr. unio est inter corpus & animam; non tamen dicere possum: *Anima est corpus & corpus est anima.* Arctissima est unio inter tres Deitatis personas; non tamen possum dicere: *Pater est filius & filius est Pater,* qvia alias confunderentur inter se personæ. Unio est inter conjuges, non tamen possum dicere: *Vir est mulier, & mulier est Vir.* ita & hoc loco. (3) qvia multæ absurditates ex istiusmodi locutionibus fluunt. Contra Weigel. & Novatores.

§. V. Prædicationes ex unione hac fluentes secundum tria genera communicationis idiomatum distribuere solent, & distingvere Theologi in tria phraseologiæ genera. *Primum* est *idiomica,* qva Christus sibi tribuit, qvæ fidelibus accidunt, ut Act. 9, 4. Matt. 25, 42. *Secundum* est *μεταμικα,* qva præstantissima nobis idiomata propter hanc unionem adscribuntur, qvæ naturam

alioqvin noſtram longe ſuperant. ut 1. cor. 3, 17. Coll. 2, 10. Joh. 1, 16. 1. Joh 2, 27. &c. *Tertium* eſt κοινωνία, qva eadem actio & Chriſto & nobis communiter tribuitur, ut Gal. 2, 20. conf. Matt. 10, 20. Epheſ. 3, 10. 1. Joh. 4, 4. c. 5, 4. Joh. 15, 5. Sed hæc omnis communicatio *Scherica* tantum eſt, & *analogica*, non talis, qvalis in perſona Chriſti obtinet, ideoqve etiam *propoſitiones perſonales* locum non inveniunt, ut modo jam monuimus.

CAPUT. XXI.

De

Renovatione.

§. I.

OBligamur Deo & ob gratiam renovantem & ſanctificantem, qvam credimus.

§ II. Renovatio hujus vitæ valde eſt imperfecta. Probatur (1) qvia qvotidie ad huc laboramus cum concupiſcentia, qvæ facit ut adhuc carnales ſimus. Rom. 7, 7. ſq. (2) ex Eſ. 64, 6. Luc. 17, 10. Phil. 3, 12, 13. (3) qvia qvotidie jubemur renovari. Epheſ. 4, 23. ut charitas creſcat. Phil. 1, 19. Contra Pontific. & Pietiſtæ.

§. III.

§. III. Perversæ illæ inclinationes à peccato originali pullulantes in renovatione non ita debilitari possunt, ut non amplius motum earum sæpius percipiamus *Ratio:* qvia radix & sensus peccati in hac vita manet. Rom. 7, 7. seq. *Contra iidem.*

§. IV. Non potest homo in Sanctificatione eo pervenire, ut amplius proficere neqveat. Qvod ex jam probatis constat. *Contra iidem.*

§. V. Non datur in hac vita gradus Sanctitatis summo proximus. Qvod itidem ex jam adductis constat. Aliàs qvantum hic liceat definire caute satis expressit *B. Chemnitius in locis Theologicis. part. 2. de lege dei c. 8. p. 254.* seq. ubi ita: *Nova obedientia (1) cavet externos lapsus & præstat opera externa congruentia legi. (2) inchoat novos motus in corde, mente, voluntate & omnibus membris juxta singula præcepta. (3) repugnat concupiscentiæ, mortificat inclinationes contrarias.* Hic terminus esto. *Contra iidem.*

§. VI. Potest tamen eousqve in renovatione proficere homo renatus, ut non amplius *voluntarie* & *necessario* peccet. Probatur (1) ex Divinæ gratiæ efficacia. Rom. 5, 20. (2) ex salutis nostræ certitudine, ab Apostolo passim prædicata, impr. Rom. 8, 38. Si autem homo semel renatus & in gratia divina constitutus non posset sibi ab omni peccato voluntario & mortali temperare,

sed aliqvando in tale peccatum necessario incideret, nunqvam de salute sua certus esset. Nec enim certus esset, annon in extremo agone forte voluntario peccato involveretur. (3) ex Scripturæ S. indicio, qvæ in hominis potestate esse dicit, post collatam ipsi gratiam voluntatem suam à peccato avertere. Gen. IV, 7. (4) ex ipsa experientia. Qvia autem DEus ut omnem, ita etiam *perseverandi gratiam ordinatam* esse & *mediis eandem retinendi* instructam voluit, summo studio, summaqve cura providendum homini fideli est, ne voluntas ipsius aliqvando à carnis illecebris vincatur. Qvam facile enim fieri possit, ut in peccata labatur, nisi divinum ordinem accuratissime observet, testantur exempla in Scripturis allegata; deinde Paulus de concupiscentia sollicitans & tam gravibus verbis conqverens, porro monitum ejusdem severissimum, ut *cum timore & tremore salutem nostram operemur.* Phil. 2, 12. Fechtius.

CAPUT XXII.

De *Lege & Evangelio.*

§. I.

OBligamur DEO & propterea, qvod nobis hoc verbum suum dede-

dederit, ut non solum eum ex eodem cognoscamus; Sed & ea qvæ ad fidem vitamq; pertinent, haurire possimus. Et hoc credimus.

§. II. Lex DEi vel naturalis est, vel revelata.

§. III. Lex naturalis revera datur cordibus hominum inscripta. Rom. 2, 15. Contra Sociniani.

§. IV. Fundamentum legis naturalis non est socialitas. Lex enim naturæ non formatat hominem saltem in societate sed & extra societatem, qvin imo ad DEum qvoqve hominem componit. Item & qvia improbantur ac laudantur actiones qvædam antequam ulla vel *utilitatis* vel *socialitatis* consideratio. &c. Nos distingvimus autē inter principium in *essendo* & *cognoscendo*. *Illud* dicimus esse ipsum DEum, eumq; *Justum* & *Sanctum*, qvi principia illa practica, secundum qvæ juste ac Sancte vivendum menti nostræ impressit, unde & adhortationes. Levit. 11, 44. &c. *Hoc* qvod concernit, nos cum *B. Schomero* sentimus: Jus naturæ non tantummodo ex fonte *utilitatis*; sed *principaliter ex fonte honestatis* debere derivari: *Honestatis* vero principium seu fontem esse sensum illum, qvi ante omnem discursum rationis percipitur, qvo nos ad aliqvid simpliciter obligari animadvertimus. Rom. 2, 14, 15. Qvi sensus

K 5 Atheismi

sensus à justissimo & sanctissimo DEo menti cujuslibet hominis est impressus. Et ex hoc fonte moralia omnia fluunt ceu rivuli. Qvæ moralia, si rursus sub generali velis habere conceptu, vel in generalibus regulis obligantibus; tum eæ comprehendi possunt sub *amore*, eoqve *DEI, proximi*, qvo & spectat *socialitas*, & *nostri ipsius*, præeunte Christo. Matt. 22, 36. seq.

§. V. Lex naturalis (1) immutabilis est. (1) qvia est ipsa DEi veritas, DEus autem ut non essentiam, ita nec sententiam mutat. (2) qvia expresse Paulus, cum Rom. 2, 15. meminisset legis inscriptæ, subjungit & dicit perseveraturam illam esse usqve in illum diem, qvo judicabit Deus occulta hominum. II.) & indispensabilis. (1) qvia alias DEus legem suam mutaret (2) qvia si DEus dispensaret, tum id, qvod intrinsecus malum est, h.e. peccatum, impune & cum approbatione concederet. Qvod absurdum.

§. VI. Lex revelata non est unius generis. Sic enim aliæ leguntur omnibus hominibus datæ, aliæ specialiter genti Ebrææ. Schomer. specim. c. 1. §. 15.

§. VII. Leges universales ibi qværere oportet, ubi universalis qværitur vocatio; ideoqve tum in communium parentum Adami & Noachi historia, tum in promulgatione N. T. & Apostolorum scriptis.

§. IIX.

§. VIII. Præcepta sex Adamica, & septimum Noachicum Scripturæ fundamento carent.

§. IX. Leges specialiter genti Ebrææ datæ sunt Mosaicæ illæ, & aliæ sunt morales, aliæ ceremoniales, aliæ politicæ. Schomer. l. c. §. 16.

§. X. Morales habentur in decalogo, & radicantur in lege honestatis naturalis, nec sunt abrogatæ; sed singulos & omnes, etiam in N. T. & renatos obligant. Schomer. l. c.

§. XI. Ordinem illum præceptorum Decalogi, qvem in ecclesiis nostris habemus, merito distributioni Calvinianorum præferimus, & qvidem (1) ob ipsum præceptorum sensum. (2) ob accentuationem. cui (3) accedunt literæ ב & ל præceptis interjectæ, tanqvam clausi apertiqve novi sensus indicia. (4) ob commune ecclesiæ suffragium. Qvamvis vetustiores Hebræi & in his Chaldaicum Targum pro sententiâ Calviniana stent.

§. XII. Leges ceremoniales & politicæ qvoad ea, qvæ juris particularis fuerunt, sunt abrogatæ, & homines in N. T. non amplius obligant. Ratio: qvia umbræ fuerunt, qvæ superveniente corpore evanuerunt. Coll. 2, 14, 17. Hebr. 10, 1. Adde

& prædictionem Danielis cap. 9, 27. & decisionem Spiritus S. Actor. 15, 6, 10. Contra Judæi, & nonnulli Novatores.

§ XIII. Legem moralem nemo perfecte implere potest. Probatur (1) ex clarissima Scripturæ litera. Joh. 7, 19. Act. 7, 38. seq. v. 53. c. 15, 10. Gal. 3, 21. Si autem ex lege est justitia, Christus frustra mortuus est, Rom 8, 3. (3) qvia lex reqvirit conformitatem non saltem in externis, sed & in internis, eamqve omnibus numeris absolutissimam & perfectissimam. Eqvidem & de *renatis* passim dicitur, qvod & *impleatur ab illis lex*: Verum id duobus saltem modis fieri Theologi dicunt. Nimirum (1) *fide & imputatione*, (2) *inchoatione*: Nihilominus tamen & verum esse monent, sanctos debere agnoscere se procul abesse à perfecta impletione legis in hac vita. Vide id prolixe & solidissime deductum à *B. Chemnit. in loc. part. 2. loc. de lege DEi. c. 8.* Contra Pontificii: Socciniani: Anabaptist. &c.

§. XIV. Nec juxta ἐπάκειαν Evangelicam homo renatus ita potest legem servare, ut propterea legaliter, aut evangelico-legaliter perfectus censeri qveat. Probatur (1) ex iisdem argumentis, qvibus jam in præcedenti Thesi usi fuimus. Ex qvibus apparet non ita à renatis vitâ suâ impleri posse legem, ut inde perfectio qvædam absolu-

soluta ipsis possit tribui. (2) ex querelis regenitorum. Jes. 64, 6. Rom. 7, 18. seq. (3) qvia aliàs perfectissima legis & Evangelii confusio committitur. (4) qvia revera lex istiusmodi sententiâ redditur mutabilis, & Christus necessario novus statuitur legislator. Contra Pietistæ

§. XV. Lex ab Evangelio toto cœlo differt. Nempe (1) ratione originis & modi patefactionis. (2) ratione causæ mediatricis (3) ratione materiæ. Lex est doctrina operum: Evangelium doctrina gratiæ & fidei. (4) ratione formæ. Lex sua promittit sub conditione perfectæ obedientiæ: Evangelii vero promissiones sunt gratuitæ. (5) ratione effectus. Lex accusat & terret, Evangelium consolatur. (6) ratione objecti. Lex proponitur & impiis ac securis. Evangelium vero contritis. &c.

§. XVI. Evangelium non est concio pœnitentiæ. Sed mera gratiæ. Probatur (1) ex clarissima Scripturæ litera. Act. 20, 24. Luc. 4, 12. c. 2, 10. 2. Cor. 2, 18. Rom. 15, 8. Gal. 3, 16. &c. (2) qvia alias apertissime lex confunderetur cum Evangelio.

Contra Pontificii, Anti-Nomi-Crypto-Calvinian, & Neo-Prophetæ.

§. XVII. Promissiones Evangelicæ de gratiâ DEI universali, de merito Christi, vocatione ad salutem &c. adeoqve de gratia offe-

offerenda, sunt universales, & non conditionatæ. Matt. 11, 28. 1. Tim. 2, 4. 2. Pet. 3, 9. &c.
Contra Calvinian, & Terministæ.

§. XVIII. Promissiones Evangelicæ de gratiâ conferendâ actu v. g. de remissione peccatorum, justificatione etc. sunt conditionales, respicientes fidem, Rom. 3, 24, 25, 26. Marc. 16, 16. &c. Qvam tamen *fidem* Theologi magis *organon apprehensionis*, & *medium τυγχάνως* divinæ, qvam *conditionem* vocant.

§. XIX. Eædem promissiones non tamen conditionales sunt obedientiam nostram vel perfectam l. imperfectam reqvirentes; sed sunt mere gratuitæ. Probatur (1) ex clarissima Scripturæ litera. Rom. 11, 6. c. 4, 16. c. 3, 21. Act. 20, 24. Luc. 4, 21. (2) qvia aliâs iterum Evangelium confunderetur cum lege. Qvod nullo modo fieri debet. Contra Pontificii, Arminian, Sociniani & Novatores Helmstadienses.

§. XX. Unum idemq; Evangelium est V. & N. T. Probatur (1) ex Prot-Evangelio Gen. 3, 15. (2) ex locis Act 4, 12. c. 10, 43. c. 15, 11. (3) qvia una saltem est fides. Eph. 4, 5. (4) ex Hab. 11, 4, collato cum Rom. 1, 17. Gal. 3, 12. Ebr. 10, 37, 38. Contra Pelagian. Socinian, Arminian. Anabapt. & Calvinian.

CAPUT.

CAPUT XXIII.

De Sacramentis in genere.

§. I.

OBligamur DEO & ob Sacramenta gratiam ipsius & conferentia & obsignantia. Qvæ credimus.

§. II. Nomen Sacramenti rectissime retinetur in Ecclesiis Probatur (1) qvia Deus nullibi hoc nomine uti prohibuit (2) qvia id, de qvo agimus mysterium recte appellatur 1. cor. 4, 1. Qvidni & Sacramentum, qvod heic idem est cum Mysterio? (3) qvia & aliis vocibus in Scriptura non exstantibus ex libertate utimur. Contra Qvakeri.

§. III. Sacramenta qvædam revera dantur. Probatur (1) ex ipsorum institutione à Christo facta. (2) à communi Ecclesiæ praxi. Contra iidem.

§. IV. Ministri qvalitas vel intentio interna nihil facit ad integritatem & efficaciam Sacramenti. Probatur (1) qvia incredulitas hominum non irritam reddit fidem DEi. Rom. 3, 3. (2) exemplo Zipporæ præter intentionem circumcidentis filium Exod.

Exod. 4, 25. (3) qvia alias nemo posset esse certus se verum accepisse Sacramentum.

§. V. In omni Sacramento præter materiam terrestrem reqviritur etiam cœlestis. Juxta illud *Augustini*: *Accedit verbum ad Elementum & fit Sacramentum. Tract. 80. in Johannem.* Probatur (1) ex inductione omnium Sacramentorum (2) ex ipsa natura & fine Sacramentorum. Cum enim Sacramenta id qvod in verbo evangelii prædicatur externo elemento vestitum sensibus ingerere debeant, ex eo sponte seqvitur qvod nec verbum sine elemento nec elementum sine verbo constituat Sacramentum. Per verbum autem intelligitur partim mandati partim promissionis. Per elementum intelligitur non qvodvis, sed certum & verbis institutionis expressum.

§. VI. Sacramenta non sunt nuda signa sed efficacia media gratiæ & salutis, & sigilla gratiam & promissiones evangelicas obsignantia. Probatur (1) qvia Sacramenta sunt verbum visibile. Qvicqvid ergo verbo evangelii generatim competit, id Sacramentis non est denegandum. (2) qvia de Sacramentis prædicantur effectus regenerationis, remissionis peccatorum, & salutis. Joh. 3, 5. Eph. 5, 27. Tit. 3, 5. 1. Cor. 10. &c. (3) qvia per Sacramenta hominem

mines fœderi divino inseruntur & in eo conservantur.

§. VII. Sacramenta non prosunt ex opere operato; sed ex fide. Probatur (1) qvia necessario fides hic reqviritur. Marc. 16, 16. Act. 8, 36. c. 2, 35. (2) qvia justificatio fidei tribuitur. Rom. 4, 3. c. 10, 10. Hebr. 10, 38. Hæc fides autem qvamvis non faciat ad efficaciam ipsismet Sacramentis ingenerandam, reqviritur tamen ad efficaciam illam nobis applicandam vi ordinis divini. Contra Pontificii.

§. IIX. Sacramenta sunt vel. V. vel. N. T. Illius duo sunt Circumcisio & agnus paschalis, de qvibus infra. Hujus itidem duo sunt proprie sic dicta: Baptismus & S. Cœna. Probatur (1) qvia Christus duo saltem instituit Sacramenta, Baptismum scilicet. Matt. 28, 19. & Sacram Cœnam. Matt. 26, 26. seq. conf. 1. Cor. 12, 13. (2) qvia præter Spiritum duo saltem sunt testes. 1. Joh. 5, 7, 8. (3) qvia his duobus saltem competit definitio Sacramenti. Contra Pontificii.

§. IX. Sacramenta non imprimunt animæ characterem indelebilem. Qvia de eo nullum reperimus in Scripturis vel apicem vel characterem. Contra iidem.

CAPUT XXIV.

De Baptismo.

§. I.

OBligamur DEo hic specialiter ob Baptismum, qvem credimus.

§. II. Baptismus Johannis non fuit diversus à Baptismo Christi. Probatur (1) qvia unus saltem est baptismus. Eph. 4, 5. (2) qvia baptismus Johannis eandem habet causam. Fuit enim à DEo. Joh. 1, 33. Luc. 3, 2. (3) eadem fuit materia: uterqve enim baptizavit aqva. (4) una fuit forma. Procul dubio enim & Johannes baptizavit in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, qvia eodem tempore baptizavit, qvo discipuli Christi. Joh. 3, 22. (5) idem effectus est, nempe regeneratio. Joh. 3, 5. Marc. 1, 4. Luc. 3, 7. Matth. 3, 7.

§. III. Baptismus Laicorum & mulierum tempore necessitatis administratus legitimus est. Probatur (1) a docendi munere mulieribus in casu necessitatis concesso. Actor. 18, 24, 26. (2) à summa necessitate Baptismi. (3) ab analogia Sacramentorum

V. T. dum nimirum in casu necessitatis Zippora circumcidit filium. Contra Calvinianos & Socinianos.

§. IV. Datur certa qvædam materia cœlestis Baptismi, qvæ satis ex Scriptura S. constat. Eqvidem hic Theologi variant, dum nonnulli statuunt SS. *Trinitatem* ex *verbis institutionis*. Alii *Spiritum* ex Joh. 3, 5. & Tit. 3, 5. Alii *sanguinem Christi* ex 1. Joh. 1, 6. Alii omnia simul ponunt. Attamen *prima* sententia videtur nobis qvidē verior & tutior. (1) ob verba institutionis, in qvibus propria sedes. Matth. 28, 19. (2) ob locū parallelum. Joh. 3, 5. Ubi cum in regenerationis nostræ medio nominatur aqva & Spiritus, per ejusdem particulæ connexionem eodem causæ genere utrumqve ad eundem effectum concurrere ultro intelligitur. Spiritum S. vero cæteras includere personas ex locutione plurali mox seqventi v. 11. patet. Conf. Magnifici Dn. D. Fechtii *Collegium Thetico Anti-Theticum. Mscr.* c. 24, §. 13.

§. V. Unio materiæ cœlestis cum terrestri hic non est schetica vel analogica, sed vera et realis, & qvoad substantiam, non nudam operationem. Unde aqva non est nuda aqva, sed lavacrum regenerationis in verbo, ut pote cum ipsa SS. Trinitate unita.

Joh.

Joh. 3, 5. Eph. 5, 26. Tit. 3, 5. 1. Petr. 3, 21. 1. Joh. 1, 7. Contra Calviniani.

§. VI. Baptismus utrum fiat immersione an aspersione, perinde est. Probatur (1) ex vocis βαπτίζειν significatione, (2) qvia nihil certi in verbo DEi hic est præscriptum, hinc Ecclesia utiqve retinet suam libertatem.

§. VII. Baptismus est maxime necessarius. Probatur (1) qvia expressum mandatum Christi habemus. Matth. 28, 19. (2) qvia sine baptismo ordinarie nemo potest salvus fieri. Joh. 3, 5. (3) qvia baptismus pertinet ad fundamenta Christianismi. Hebr. 6, 2. (4) ex praxi Apostolorum, qvi procul dubio ex mandato baptizarunt, cum aliàs ἀθελοθρησκείαν commisissent. Contra Calviniani, Sociniani, Arminiani & Qvakeri.

§. IIX. Inepte *Thomas Abucaras* statuit fideles V. T. ante Christi adventum defunctos per aqvam, qvæ ex latere Christi profluxit, esse baptizatos. Vide peculiarem disputationem Magnifici Dn. D. Jttigii.

§. IX. Pædo-baptismus legitimus est & necessarius. Probatur (1) ex convenientia baptismi cum circumcisione, cujus subjectum erant infantes. (2) ex institutionis Christi universalitate. Matth. 28, 19. (3) qvia Apostoli integras familias baptizarunt, qvibus procul dubio infantes & interfuerunt.

runt. Act. 16, 18. (4) qvia puerorum est regnum cœlorum. Marc. 10, 14. In qvo fine baptismo nemo ingredi potest. Joh. 3, 3.

Contra Sociniani Anabaptist. & Qvakeri.

§. X. Jnfantes Christianorum ante baptismum non sunt in fœdere DEi, nec Sancti, sed naturâ filii iræ. Probatur (1) qvia etiam Sanctorum liberi in peccatis concipiuntur, exemplo Davidis Ps. 51, 17. Adeoqve naturâ non nisi filii iræ. Joh. 3, 6. Eph. 2, 3. (2) qvia per baptismum debemus mundari & ablui. Eph. 5, 27. Act. 22, 16. Ergo Sancti non nascimur, sed fieri debemus. (3) qvia per baptismum demum fœderi DEi inserimur, cum per illum adoptamur in filios. Joh. 1, 12, 13. Gal. 3, 27. (4) ex verbis Petri, Act. 2, 38.

Contra Calviniani.

§. XI. Jn jnfantibus per baptismum accenditur fides, & baptizati jnfantes vere credunt. Probatur (1) ab expressa Scripturæ litera. Matth. 18, 6. Marc. 9, 42. c. 10, 13. seq. (2) qvia jnfantes placent DEO. Matth. 18, 3 c. 19, 14. sed sine fide nemo DEO placere potest. Hebr. 11, 6. (3) qvia ipsis regnum cœlorum promissum. Marc. 10, 14. (4) qvia per baptismum Christum induunt. Gal. 3, 25. (5) ab effectibus & fructibus fidei. Sic jnfantes laudant DEum. Ps. 8, 3. Matth. 21, 16. (6) ex exemplo Johannis Baptistæ. Luc. 1, 44.

Contra Pontificii Calviniani Sociniani Arminiani Anabaptist. Qvakeri & Novatores.

§. XII. Baptismus medium est efficax conferendi regenerationem, remissionem peccatorum, renovationem & salutem. Probatur (1) ex clarissima Scripturæ litera. Joh. 3, 5 Act. 2, 38. Eph. 5, 26 Tit. 3, 5. &c (2) qvia & circumcisio fuit signaculum justitiæ fidei. Rom. 4, 11. Qvidni ergo & baptismus? Contra Calviniani Sociniani Arminiani Qvakeri &c.

§. XIII. Valet efficacia baptismi non saltem ratione præteriti, sed & in futurum. Probatur (1) qvia efficacia illa indefinite ac categorice; non vero restricte baptismo vindicatur Act. 2, 38. c. 22, 16. Luc. 3, 3. (2) qvia baptismus non est reiterandus.

§. XIV. Baptismus non est reiterandus. Probatur (1) à deficiente mandato & exemplo. (2) à natura Baptismi, qvæ initiationis Sacramentum constituit; At initiari semel tantum rem qvamlibet congruum est. (3) ab analogia cum circumcisione, utpote qvæ semel tantum peragebatur sine reiteratione.

§. XV. Peccatum in Baptismo tollitur ratione imputationis, non ratione inhærentiæ. Manet enim reliquum etiam in renatis peccatum. Rom. 7, 23 &c.

§. XVI. Exorcismus ut adiaphorus ritus in ecclesia nostra retinetur. (1) qvia nullibi in Scriptura est rejectus. (2) qvia nihil habet scan-

scandali, sed potius multa bona in se continet. (3) qvia exemplo Apostoli falsis fratribus ne qvidem ad horam est cedendum.

Contra Calviniani, et Nonnullos Theologos & Mulierum.

CAPUT XXV.

De Sacra Cœna.

§. I.

OBligamur DEo & ob hoc Sacramentum, qvod credimus.

§. II. Dubium videtur, utrum laica qvælibet persona in necessitatis casu S. cœnam administrare possit? Potest tamen responderi, consensuros facile in affirmantem Theologos, si talis necessitatis casus daretur. Fechtius.

§. III. Panis noster orbicularis verus est panis, & ob commoditatem merito in Ecclesia retinetur. Probatur (1) à definitione panis. Sunt enim massæ ex *farina* & aqva inter se mistis beneficio ignis coctæ. (2) ab ipso sensu. Qvicunqve enim easdem edit, is sentit, panem se azymum edere, ut vulgarē & domesticum panem edens sentit, se fermentatum edere. (3 ab effectu. Nec enim

vel alium saporem vel odorem habent ac panis habere debet, nec effectu panis destituuntur, qvi est nutrimentum, si in debita qvantitate sumantur. Contra Calviniani & Sociniani.

§. IV. Fractio panis in S. cœna non est absolute necessaria. Probatur (1) qvia etsi Christus in prima cœna panem fregerit, eundem tamē frangi nusquam jussit. (2) qvia finis fractionis unice est distributio, qvæ vero fractio qvia actus tantum ministerialis est, non sacramentalis, etiam ante celebrationem cœnæ fieri vel per pistorem vel per qvemvis alium potest. (3) qvia analogiam illam Sacramentariam qvam adversarii fingunt Scriptura ignorat, imo eidem est contraria, cum corpori Christi nulla fractio obtigerit, nec obtingere debuerit. Joh. 19, 36. Contra Calviniani & Sociniani.

§. V. Crama vini nullibi legitur mandatum & merito negligitur, neqve etiam certum est, neqve expressum, Christum vinum temperatum habuisse. Qvare & nec Græci aqvam habent. Contra Pontificii.

§. VI. Particula EST in verbis institutionis proprie, non figurate explicatur. Probatur (1) ex regula Hermeneutica: A proprietate literæ non est recedendum, nisi summa nos cogat necessitas. (2) qvia & in reliqvis Sacramentis litera tenetur. (3) ab arti-

articulorum fidei propria natura. Ex solis enim figuris & allegoriis non potest constitui fidei dogma, ut tradidit Hieronymus. unde omnis fidei articulus alicubi in Scripturis propriis verbis traditur. (4) a Testamenti proprietate ac forma. Sic enim præsumitur Testator clarissimis verbis locutus, ne Testamentum post mortem fiat materia litis. (5) à clara litera, qvia singula verba respuunt tropum, (6) ex admissi tropi incommodis, sic enim evacuatur fidei mysterium, & nulla remanet certitudo. (7) à Testatoris divina Majestate, qvi omnia, qvæ loqvitur potentissime præstare potest. (8) à consensu Evangelistarum & Pauli. 1. cor. 11, 23, 24, 25. (9) ex antiqvitate. etc. Contra Calviniani, & Sociniani.

§. VII. Propositiones hæ: panis est corpus Christi, vinum est sangvis Christi non qvidem Biblicæ sunt, sed Ecclesiasticæ, ut Sacramentales tamē bene à Nostratibus explicantur, non ut figuratæ, sed propriæ. Non ut sensus sit: Panis figurat tantum, vel significat corpus Christi; Sed hic potius: Panis re vera conjunctum sibi habet corpus Christi. Nempe panis juxta veteres dupliciter consideratur: vel abstractive, qvaliter in natura sua consideratur, & qvalis ante consecrationem est, qvo pacto falsum est, qvod panis sit corpus Christi; vel concretive, prout in

sacramentali post consecrationem usu corpus Christi sibi adjunctum habet, atqve hoc modo acceptum panem non nudum amplius panem; Sed vere proprieqve corpus Christi esse dixerunt.

§. VIII. Corpus & sangvis Christi vere & realiter qvoad substantiam cum pane & vino unita in S. cœna adsunt. Probatur (1) ex clarissima litera verborum institutionis. (2) ab instituentis omnipotentia, omnisapientia, voluntate & veritate. (3) ex harmonia Pauli 1. cor. 10, 16. (4) ex indignorum participatione exitiosa. 1. cor. 11, 27, 29. (5) qvia & potissimum in eo novum Testamentum differt à veteri, qvod hoc istiusmodi ceremonias habuerit, qvæ mystice aliqvid significent, illud vero ab istiusmodi ceremoniis liberum, non umbram habens sed corpus Hebr. 8, 5. c. 10, 1. Contra Calviniani, Sociniani, Arminiani, &c.

§. IX. Datur manducatio corporis & bibitio Sangvinis Christi Sacramentalis, qvæ fit ore corporis, licet modo hyperphysico. probatur (1) ex verbis institutionis, in qvibus comedendum corpus & bibendus sangvis Christi porrigitur. (2) qvia panis qvem frangimus, est κοινωνία corporis Christi. 1. cor. 10, 16. (3) ex indignorum communicatione. 1. cor. 11, 27. Contra iidem.

§. X. Transsubstantiatio Pontificia me-

rum

rum est figmentum Probatur (1) qvia nullibi in Scriptura S. habetur. (2) qvia cum Scriptura pugnat. Sic enim nominatur panis non modo ante; sed & in actione cœnæ; ac etiam post consecrationem. Matth. 26, 26. Marc. 14, 22 Luc. 22, 19. 1. Cor. 10, 16. c. 11. 23, 26. seq. (3) qvia est κοινωνία. 1. Cor. 10, 6. Qvæ vero uniuntur, non etiam statim mutantur (4) qvia manent accidentia panis & vini, e. gr. color, odor, sapor, mollities, &c.

Contra Pontificii.

§. XI. Et Laicis porrigendus est calix benedictus. Probatur (1) Qvia qvod Christus in institutione cœnæ conjunxit, homo ne separet. (2) qvia & Paulus Ecclesiæ Corinthiacæ Sacram cœnam sub utraqve specie tradidit, ut à Domino acceperat. 1. Cor. 11, 20. sq. conf. 1. Cor. 10, 14, 15, 16, 17. (3) à concomitantiæ pontificiæ falsitate. Qvamqvam enim corpus Christi non sit sine sangvine nec sangvis sine corpore propter unionem naturalem corporis & animæ, sic & licet tota persona præsens sit ob unionem personalem, qvod tamen & corpus Christi solum vi unionis Sacramentalis etiam exhibeat sangvinem ex verbis institutionis non potest probari, ex qvibus potius contrarium constat. (4) ex praxi Ecclesiæ Christianæ. contra iidem.

§. XII. Promissio Evangelica de remissione peccatorum & fides nostra in S. cœna con-

confirmatur & obsignatur. Probatur (1) ex clarissima litera. Matth. 26,26. seq. (2) qvia per Evchariſtiam Chriſto inſerimur. 1. Cor. 10, 17. (3) ex cibi ac potus Evchariſtici conditione, qvi enim accipiunt S. cœnam, illi ipſum corpus Chriſti qvod pro peccatis noſtris traditum eſt, & ſangvinem Chriſti, qvi pro peccatis effuſus eſt, accipiunt. (4) ex N. T. denominatione. (5) qvia ſi indigni in judicium accipiunt, neceſſario digni accipient in remiſſionem peccatorū & ſalutem.

Contra Pontificii Sociniani & Arminiani.

§. XIII. Poſt uſum nullum amplius eſt Sacramentum, adeoqve adoratio & circumgeſtatio hoſtiæ merito damnatur. Probatur prius (1) qvia Sacramentum cœnæ non eſt res permanens ſed actio, qvemadmodum ipſe Chriſtus; deſcribit. (2) qvia extra uſum non ſervatur inſtitutio; ubi vero illa non ſervatur, ibi nec eſt Sacramentum. Probatur poſterius (1) qvia caret mandato divino. (2) pugnat cum natura panis evchariſtici, qvi poſt conſecrationem manet verus panis & creatura DEi. (3) deſtituitur exemplo diſcipulorum Chriſti, & praxi primitivæ eccleſiæ. (4) conjunctas habet multas ſuperſtitiones & idololatriam. Contra Pontificii.

§. XIV. Sacra cœna non eſt externum viſibile ac proprie dictum ſacrificium. Adeoqve ſacrificium miſſaticum rectiſſime rejicitur.

citur. Probatur (1) qvia nullibi id in Scriptura asseritur. (2) Scripturæ potius contrariatur, ut pote qvæ docet Christum semel tantum sese obtulisse. Hebr. 7, 16, 27, c. 9, 28. (3) qvia definitio & reqvisita sacrificii proprie sic dicti hic plane nullum habent locum. Contra iidem.

§. XV. Fides non ad substantiam S. Cœnæ, sed ejus fructum pertinet. Probatur (1) qvia Sacramentorum veritas & integritas pendet insolidum ex institutione divina, qvæ per nostram incredulitatem non redditur irrita, Rom. 3, 3. (2) Sacramenti essentia tota absolvitur re terrena & cœlesti, ejusdemqve legitima administratione in ipsis verbis institutionis præscripta. (3) Fides ad salutarem usum Sacramenti spectat, ergo non ad essentiam. (4) si fides pertineret ad substantiam S. Cœnæ, idem de baptismo dicendum esset, ac proinde hypocrita adultus si baptizaretur, post conversionem esset rebaptizandus. (5) Eides Sacramento confirmatur & obsignatur. Ergo ad ejus essentiam non pertinet. (6) illa est essentia & forma cujusqve rei, per qvam est id, qvod est, & ab aliis omnibus distingvitur. Per fidem autem Sacramentum non est Sacramentum, neqve unum Sacramentum ab alio distingvitur. (7) qvia uti ad essentiam S. Cœnæ non reqviritur intentio & fides dantis, ita nec fides acci-

accipientis. Contra Calviniani, Socinianí, Arminiani, aliiq;.

§. XVI. Et indigni participant materiam cœlestem, corpus & sangvinem Christi. Probatur (1) ex clarissima Scripturæ litera. 1. Cor. 11, 27 seq. (2) ex natura Sacramenti, qvo DEus nobis sub re externa rem internam & cum illa gratiam suam offert. (3) qvia indigni integrum Sacramentum accipiunt.

§. XVII. Cœnam nonnisi in Paschate anniversario & solemni ritu ab omnibus Christianis ad finem usqve mundi simul esse celebrandam, nec in Scriptura nec in antiqvitate docemur. Contra Novatores qvidam.

§. XVIII. Sæpius & freqventer S. Cœna est celebranda. Probatur (1) ex verbis institutionis: Qvoties hoc feceritis. (2) ex praxi primitivæ ecclesiæ. Contra Arnald.

CAPUT XXVI.

De

Testamentis.

§. I.

OBligamur DEO & ob dispositionem illam, qvam in hactenus dictis de salute nostra facere voluerit. Et hanc credimus.

§. II.

§. II. Testamentum duplex est: Vetus & Novum, Gal. 4, 24.

§. III. Patres V. T. non habuerunt tantum promissiones bonorum corporalium de danda hæreditate terræ Canaan, sed etiam habuerunt promissiones bonorum spiritualium & æternorum, nempe Spiritus S. gratiæ inhabitantis, remissionis peccatorum, justificationis & ipsius vitæ æternæ. Quod probatur ex clarissimis Scripturæ locis, e. gr. Exod. 4, 22. c. 19, 5. c. 29, 4. Levit. 26, 12. c. 18, 5. Deut. 4, 1. c. 7, 6. c. 14, 2. c. 30, 19. Nehem. 9, 29. Ezech. 20, 12. Job. 19, 25. seq. conf. Rom. 7, 10. Joh. 5, 39. 1. Tim. 4, 4 Heb. 11, 9, 10. &c. Contra Anabaptist. Sociniani Coccejani.

§. IV. Et Patres V. T. actu ipso habuerunt remissionem peccatorum & justificationem, & in gratia fuerunt per idem medium, quod habemus in N. T. nempe per fidem. Probatur (1) ex clarissima Scripturæ litera. Act. 15, 10, 11. (2) ex exemplis Abrahami. Gen. 15, 1, 6. Jacobi Gen. 49, 18. Jobi. c. 19, 25. Davidis, aliorumque Ps. 116, 15. &c. Contra Coccejani.

§. V. Ergo non possunt dici ante adventum Christi fuisse sub ira, sub maledictione & reatu, sub imperio diaboli, in servili Spiritu, & miserrimo mortis metu, non consummati in justificatione &c. Contra iidem.

§. VI.

§. VI. Sacrificia V. T. non sunt juris naturalis, sed revelati. Probatur (1) qvia sana ratio nullum idoneum argumentum pro Sacrificiis potest adducere, nec proportionem qvandam dare potest inter DEUM qvi est Spiritus & Sacrificia carnalia (2) qvia DEus dicitur respexisse ad sacrificium Abelis. Gen. 4, 4. & Hebr. 11, 4. dicitur; qvod fide sacrificaverit Abel. Si ergo fide, non naturæ lumine. (3) qvia Sacrificia erant Typi Christi, de qvo nihil novit lumen naturæ. Contra Pontific. Arminian. & Naturalistæ.

§. VII. Sacrificia à prima promissione in Paradiso facta non fuerunt mere liberæ usurpationis, nec ad Mosen usqve non imperata. Ratio: qvia aliàs ante Mosen cultus Patrum fuisset ἐθελοθρησκία. Qvæ verò nunqvam DEo placuit. Contra Coccejani.

§. VIII. Sacrificia in V. T. & legalem & Evangelicum habuerunt usum. Konig. part. 3. §. 656. seq.

§. IX. Et Sacramenta V. T. fidem & gratiam fœderalem conferebant & obsignabant. Probatur (1) ex naturâ promissionis Evangelicæ, qvæ & in V. T. fuit, ut jam supra probavimus. (2) ex natura circumcisionis divinitus institutæ. Gen. 17, 6. conf. & Rom. 4, 11. (3) ex natura agni paschalis, qvi & figura futuri nempe spiritualis redemtionis fuit. Contra Pontificii aliiq;.

§. X.

§. X. Circumcisio non fuit ante Abrahamum. Probatur (1) qvia expresse legitur primò à DEo instituta. Gen. 17, 10. seq. (2) Qvia Sacramentum V. T. fuit & signum, qvo discernerentur à gentilibus Judæi. (3) qvia alias circumcisio esset ἐθελοθρησκεία qvam DEus semper abominatus est. Contra Spencer. Marsham. aliiq;.

§. XI. Agnus Paschalis commode dicitur & Sacramentum, & sacrificium. Vocatur enim freqventer sacrificium, adfuerunt etiam actus sacrificiales. Et Sacramentum fuisse constat ex eo, qvia & definitio & reqvisita Sacramenti ei competunt.

§. XII. Non minor sanctitatis gradus fuit in V. T. qvam reqviritur in N. Probatur (1) qvia uti una fides, sic & iidem fidei fructus (2) qvia & Spiritus S. fuit in V. T. homines ducens. Ps. 143, 11. Contra Terministas, aliiq;.

§. XIII. Nec DEus peccatoribus V. T. ut infantibus plus & magis condonavit qvam peccatoribus in N. T. Ratio: qvia lex DEi est immutabilis. Contra iidem.

§. XIV. Novum Testamentum non habet annexam conditionem bonorum operum; sed est meregratuitum. Ratio: qvia promissiones Evangelicæ non sunt ita conditionales, ut obedientiam nostram reqvirant, qvemadmodum jam supra probavimus. Contra Pontific. Socinian. Arminian. & Novator.

§. XV. Statum Ecclesiæ sub N. T. distinguendum esse in 7. periodos temporum secundum 7. Ecclesias Asiaticas apocalypseos, nullo fundamento probari potest. Contra Coccejani, Chiliastæ, aliique.

CAPUT XXVII.

De

Fide & bonis operibus.

§. I.

OBligamur DEo, qvod fidem in nobis accendat per qvam coram ipso justificamur, & per qvam opera nostra & effectus ejusdem ipsi placent. Qvæ omnia credimus.

§. II. Dantur fidei partes: Notitia, assensus, & fiducia. Et qvidem notitiam huc spectare probatur (1) ex clarissima Scripturæ litera. Joh. 17, 3 Es. 53, 11. (2) ex correlato fidei sive causa ejus efficiente, verbo divino. Est enim fides ex auditu. Rom. 10, 14. Ex auditu autem nihil potest nasci nisi notitia. (3) ex opposito fidei, qvod est ignorantia. Joh. 1, 10. seq. Act. 16, 30. (4) ab ipso primo conceptu fidei, qvi est nosse id, cui assensum præbeas. Assensum pertinere ad fidem probatur

batur (1) ex perpetuo usu Scripturæ, qvæ in fide assensum involvit. Joh. 8, 46. Hebr. 11, 1. Jacob. 1, 6. (2) ex primo fidei conceptu. Cum enim fidem nos alicui rei habere dicimur, hoc ipsum volumus nos assentiri. Et fiduciam partem esse probatur (1) ex descriptione fidei per fiduciam Hebr. 11, 1. (2) ex apprehensione sive applicatione, qvæ fidei adscribitur. Joh. 1, 12. Est enim recipere Christum idem ac credere. Recipere autem est fiducialiter sibi applicare. (3) ab exemplis credentium. Rom. 4, 18. seq. Matth 9, 22. c. 15, 27. seq. &c. (4) ab effectu. Adscribitur enim fidei remissio peccatorum & æternæ vitæ adeptio. Sed vero illa ex mera fide historica non potest oriri, qvia illam & Dæmones habent. Contra Pontific. Arminian. Indifferentistæ, aliiqve.

§. III. Fiducia fidei est acceptio seu apprehensio meriti Christi appropriativa ad me & te in individuo. Eaqve practica omnino est. Tres enim hi potissimum occurrunt actus: (1) desiderium meriti Christi, qvatenus bonum, jucundum & utile, atqve bonum morale est legi pro nobis præstitum. (2) apprehensio meriti Christi ut rei desideratæ & ad justitiam credenti imputabilis. (3) qvies & acqviescentia in bono oblato & actu apprehenso.

§. IV. Fides non potest esse sine prævia

notitiâ, vi eorum, qvæ jam paragrapho 2do de notitia diximus. Contra Indifferentistas.

§. V. Fides minus recte explicatur per amorem. Amor enim est effectus fidei. Contra iidem.

§. VI. Justificat fides non ut opus, sed qvatenus apprehendit Christum. Probatur (1) qvia fides justificans nullibi in Scriptura ut opus hominis describitur. (2) qvia alias aperte bona opera immiscentur articulo de justificatione, qvod nunqvam tolerandum. Contra Novatores.

§. VII. Duplex est vita fidei: *Una* qva vivit Christo. Gal 2, 20. Estqve hæc nihil aliud, qvam viva Christi Servatoris apprehensio Joh. 1, 12. Gen. 32, 26. Atqve hoc modo consideratam *fidem vivam* seu *operosam* justificare dubitari neqvit. Sed vero constat præter hanc *vitam aliam* qvoqve esse, qvæ tendit in *amandum DEum & proximum*, de qva Gal. 5, 6. de hac vero cautius & distincte iterum loqvendum est. Neqve propositio illa absolute posita: *Fides viva* vel *actuosa & operosa justificat*, usurpanda est. Qvia nec Scripturæ consentanea est, neqve alium sensum ordinarie generat qvam hunc: *Fides qvâ actuosa & qvia actuosa justificat*, à qvo tamen merito abstinendum est. Fechtius.

§ IIX. Fides non est in se otiosa aut ineficax, nec vim justificandi demum à charita-

te

habet. Nam (1) vim suam potius habet à merito Christi, qvod apprehendit. Rom. 3, 24, 25. (2) charitatem potius operatur fides.

§. IX. Distinctio fidei in informem & formatam non est toleranda. Qvia (1) in Scriptura non est fundata. (2) contra Scripturam. (3) multarum hæresium causa. Contra Pontificii.

§. X. Renati non possunt opera perfecte bona absqve ulla vitii labe præstare. Qvia renovatio in hac vita saltem est imperfecta. Uti jam supra probavimus. Contra Pontificii & Novatores.

§. XI. Bona opera necessaria qvidem sunt; sed non ad justificationem & salutem vel obtinendam, vel conservandam, vel merendam Jdqve (1) non ut causæ, qvia (1) sola fides justificat & salvat. (2) expresse opera excluduntur, ut jam supra probavimus. Neqve (II.) ut media. Per medium enim non aliud intelligi poterit qvam morale. Atqve id non nisi causale est. Sed vero cum bona opera non sint causa salutis, nec media ejus esse possunt. Neq; (III.) ut conditio sine qva non, qvia in moralibus conditio sine qva non revera causaliter influit. Qvi vero causalis influxus propter jam dicta locum hic habere neqvit. Contra Pontificii, Calviniani, Majoristæ, Syncretistæ, Socciniani, Arminiani, &c.

§. XII. Norma bonorum operum lex est. Ps. 19, 8. Deut. 4, 2. c. 12, 32. &c. Contra Pontificii, Antinomi, aliiq;.

§. XIII. Bona opera gentilium vera qvidem fuerunt legaliter, ob defectum tamen fidei DEo non placuerunt. Hebr. 11, 6. Rom. 14, 3. Contra Pelagiani, Pontificii & Sociniani.

CAPUT XXVIII.

De

Ecclesia.

§. I.

OBligamur DEo ob cœtum illum, qvem colligere sibi ex omni populo voluit. Qvod credimus.

§ II. In Ecclesia & impii dantur & hæretici. Matt. 13, 30, 47. seq. &c. Stricte autem & proprie dicta ecclesia est congregatio Sanctorum & vere credentium. Qvia (1) est corpus Christi mysticum. Rom. 12, 5. 1. Cor. 10. 17. c. 12, 27. (2) Ecclesia est mater non mortuorum sed viventium. Gal. 4, 26. Et eorum, qvi ex DEo nati. Joh. 1, 12. c. 3, 6. Qvi Spiritu DEi ducuntur. Rom. 8, 14. (3) qvia est Christi ovile. Joh. 10, 1. Cujus cives etiam sunt oves Christi. Contra Pontificii, Anabaptistæ, &c.

§. III. Caput Ecclesiæ unicum est Christus. Probatur (1) ex clarissima Scriptu-

ræ litera. Ephes. 1, 22, 23. c. 4, 15. c. 5, 23. Col. 1, 18. 1. Cor. 3, 11. &c. (1) a veri capitis reqvisitis, qvæ Soli Christo conveniunt. (3) & ex aliis rationibus, nimirum ex unitate ecclesiæ, ex unitate capitis Christi & Spiritus S. deducta. Rom. 1, 5. Gal. 3, 28. Ex Christi præsentia. Matth. 28, 19. qvare vicario non opus est. Ex desponsatione ecclesiæ, qvæ duos sponsos non admittit. &c. Non ergo & *Papa Romanus* caput est ecclesiæ. Nam (1) vocatione destituitur (2) arrogare sibi id neqvit, qvod nemo Apostolorum habuit vel exercuit. (3) & repugnat conditio ministerii ecclesiastici, cujus non est dominari. &c. Sed potius Papa Romanus est *Anti Christus* ille *Magnus*. Conveniunt enim in ipsum omnes ac singulæ notæ & characteres genuini, qvos S. Scriptura Anti Christo tribuit.

Contra Pontificii.

§. IV. Notæ veræ Ecclesiæ saltem duæ sunt, nempe *pura verbi prædicatio* & *legitima Sacramentorum administratio*. Probatur (1) ab ipsa ecclesiæ definitione, qvæ est cœtus hominum amplectentium verbum DEi & utentium Sacramentis. Joh. 8, 31. c. 10, 27. c. 14, 23. Ephes. 1, 26. (2) à reqvisitis notarum proprie dictarum, qvæ sunt (α) rei notatæ soli & semper convenire eamq; ab aliis distingvere (β) rem notatam evidenter

 demon-

demonstrare. (3) ex connexione causæ & effectus, omnis enim effectus proprius ostendit causam proximam & adæqvatam; sed vero prædicatio verbi & administratio Sacramentorum sunt effectus ecclesiæ. (4) qvia hæ fuerunt notæ primitivæ ecclesiæ. Act. 2, 40, 41, 42, &c. Contra iidem, item Socinian. Arminian. Aliiqve.

§. V. Ecclesia particularis errare potest & deficere. Probatur (1) ex vaticiniis de Apostasia & seductione. Matth. 24, 24 1. Tim. 4, 1. 2. Thessal. 2, 3. (2) ex comminationibus & monitis. Matth. 7, 15. Act. 20, 29 seq. 2. Cor. 11, 2, 3. (3) ab exemplis V. & N. T. Contra iidem.

§. VI. Ecclesia Lutherana non est apostatica. Probatur (1) qvia ex Babel prodiit, non E. à vera qvadã ecclesia defecit (2) qvia eandem doctrinam retinet qvam ipsi Apostoli tradidere. Contra iidem.

§. VII. Qvamvis omnes impii non male comparentur cum *Babel*; attamen cœtum Evangelico Lutheranum universum respectu doctrinæ vel vitæ Babelem Mysticam Apoc. 14 & 18. descriptam vocare, & horrendum in modum funditus corruptam, contra pietatem est In hunc enim usqve diem verbum DEi recte in ecclesia nostra docetur & Sacramenta legitime administrantur, adeoqve notæ veræ ecclesiæ in eadem reperiuntur. Contra Novatores hodierni.

§. IIX.

§. IIX. Reformatio illa ecclesiæ nostræ qvam Novatores hodie urgent plane est inutilis maximeqve scandalosa. Qvemadmodum ex ipsis attentatis ad oculum est.

Contra iidem.

§. IX. Distinctio Ecclesiæ in visibilem & invisibilem proba est & bona. Probatur (1) ab interno splendore & ornatu. Ps. 45, 14. Rom. 2, 28. seq. 1. Petr. 3, 4. (2) qvia Regnum hoc est certo modo intra nos. Luc. 17, 21. Ergo & certo modo potest dici invisibile. (3) qvia veri adoratores in Spiritu adorant. Joh. 4, 23. Soliqve DEo vendicatur notitia illorum qvi sunt ipsius. 1. Reg. 19, 18 2. Tim. 2, 19. Hoc respectu ergo rectissime ecclesia dicitur invisibilis. &c.

Contra Pontificii,

§. X. Jus indicendi Concilia non est penes Pontificem Romanum; sed penes Imperatorem, seu summum Magistratum Politicum. Probatur (1) ex officio qvod Regibus demandatum. Ps. 2, 10. Es. 49, 23. (2) ab exemplis Regum & Principum. 1. Paralip. 13, 1, 2. c. 23, 12. 2, Chron. 29, 4. 1. Reg. 8, 1. 2. Reg. 23, 1. &c. Contra iidem.

§. XI. Præses Concilii non est necessario Episcopus Romanus; Vel ejus legatus, sed is, qvi per suffragia Episcoporum ad illud eligitur, ut constat ex exemplo Concilii Apostolici. Actor. 15. ut & ex exemplis aliorum conciliorum antiqviorum. Contra iidem.

§. XII. Conciliorum norma est Scriptura S. Es. 8, 20. & propterea pro norma vel principio dogmatum vel controversiarum haberi neqveunt. Contra iidem.

CAPUT XXIX.

De

Ministerio Ecclesiastico.

§. I.

OBligamur DEo ob institutum Ministerium Ecclesiasticum, qvod credimus.

§. II Ministerium Ecclesiasticum est peculiaris ecclesiæ status à politico & œconomico distinctus. qvia (1) Spiritus S. distingvit inter Pastores & oves Jer. 3, 15. 1. Petr. 5, 2. seq. Actor. 20, 28. docentes & discentes. Hebr. 13, 17, 2. Tim 2, 2. Ducentes & eos qvi ducuntur. 1. Thessal. 5, 12, 13. 1. Tim. 5, 17. (2) qvia hic datur specialis vocatio & missio reliqvis non competens. Jer. 23, 21. Rom. 10, 15. Hebr. 5, 4. Item ordinatio, qva certi homines ab aliis separantur. Actor. 13, 2, 3. 1. Tim. 14, 14. (3) ex clarissima Pauli interrogatione. 1. cor. 12, 29. &c. Contra Qvakeri aliiqve Fanatici.

§. III.

§. III. Distinctio inter Clericos & Laicos ex Ecclesia non est tollenda. (1) qvia distinctio hæc nihil mali in se continet, sed admodum sobrie à nostratibus explicatur (2) qvia & in Scriptura fundamentum suum invenit. Actor. 1, 17. (3) qvia est antiqvissima. Contra iidem.

§. IV. Ad Ministerium nemo admittendus est, nisi legitime vocatus & habilis. Probatur (1) à Divina detestatione eorum, qvi non sunt vocati. Jer. 23, 21. (2) ex clarissima Scripturæ litera. Rom. 10, 14, 15. Hebr. 5, 4. Joh. 3, 27. &c. (3) ab exemplorum inductione. (4) à ministrorum conditione, sunt enim Legati DEI, œconomi mysteriorum DEI. Ergo omnino debent habere vocationem. Contra Anabaptist. Socinian. Arminian. Weigeliani Puritani Qvakerii aliiqve.

§. V Interna, qvæ jactatur vocatio cuiqvā externe non vocato non dat jus extra casum necessitatis aliis sibi haud qvaqvā ordinatis prædicandi. Prædicationem enim præcedere debet externa vocatio Rom. 10, 15, Qvare & ipse Christus Apostolos suos vocavit. Contra Fanatici, & Novatores.

§. VI. Christiani indifferenter omnes, & feminæ ex jure sacerdotii Spiritualis internæqve vocationis non habent facultatem absqve præscitu & consensu ac censurâ ordinarii Ministerii libros de rebus Spiritualibus, ipsis-

ipsisqve fidei articulis scribendi & edendi. Nam (1) omnia ordine & decenter in Ecclesia debent fieri 1. Cor 14, 40. (2) qvia alias falsa dogmata facile poterunt disseminari. Qvod tamen ne fiat omnino vigilandum est. Contra iidem.

§. VII. Potestas eligendi & vocandi Ministrum Ecclesiæ est penes universam Ecclesiam omnesqve ejus status. Probatur (1) qvia Ecclesiæ tradita est potestas clavium. Matth. 16, 19. c. 18, 18. (2) qvia tota Ecclesia probare debet Spiritus. Matth 7, 15. Joh. 5, 39. c. 10, 27. Gal. 1, 9. 1. Joh. 4, 1. (3) qvia dicuntur ministri Ecclesiæ. 1. Cor. 3, 21. 2. Cor. 1, 24. 1. Petr. 5, 2, 3. (4) qvia Ministros orthodoxos & idoneos constituere omnes tangit. (5) ab exemplo Apostolorum. Act. 1, 23. c. 6, 3, 5, 6. 1. Cor. 16, 3. 2. Cor. 8, 19. (6) à praxi primitivæ Ecclesiæ. Contra Pontificii, Arminian. & Calvinian qvidam.

§. VIII. In Ecclesia Lutherana est verus ordo Ecclesiasticus, & legitima vocatio, adeoqve & veros habemus Pastores. Ratio: qvia in Ecclesia Lutherana ad exemplum Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ ab ordinariis presbyteris Magistratu consentiente & populo suffragante homines idonei & donis necessariis à DEO instructi per impositionem manuum & preces cultui divino consecrantur & ad verbi Sacramentorum-

qve

qve ministerium publice inaugurantur. Contra Pontificii.

§. IX. Habent ministri Ecclesiæ potestatem remittendi peccata. Matth. 16, 19. c. 18, 18. Joh. 20, 23. &c. Contra Calvinian. Socinian. Arminian. & Fanatici.

§. X. Licet Ministro ecclesiæ uxorem ducere. Probatur (1) ab expressa Scripturæ litera. 1. Tim. 3, 2. 1. Cor. 9, 5. (2) à generali præcepto. Gen. 1, 28. 1. Cor. 7, 35. a qvo præcepto Clerici nunqvam excipiuntur. conf. Hebr. 13, 7. (3) à periculo vel vagæ vel occultæ libidinis. (4) qvia prohibitio matrimonii est doctrina dæmoniorum. 1. Tim. 4, 3. (5) ab exemplo Petri uxorati, aliorumqve. Contra Pontificii aliiqs.

§. XI. Ministri Ecclesiæ magistratui Politico sunt subjecti. Probatur (1) à generali præcepto Clericos non excludente. Rom. 13, 1. (2) ab ipsius Christi exemplo. (3) ab exemplo Apostolorum & primitivæ ecclesiæ. Actor. 25, 10. (4) à naturali ratione, qvia sunt pars societatis civilis ergo & capiti ejusdem subsunt. Contra Pontificii.

§. XII. Ministerium Ecclesiasticum absolute est necessarium. Qvia (1) finis Ministerii est necessarius, nempe ecclesiæ collectio, conservatio & propagatio hominumqve in ecclesia salvatio. 1. Tim. 4, 16. (2) qvia carentia Ministerii plurimorum malorum causa est. Prov. 29, 18. Matth. 9, 36.

9, 36. seq. (3) qvia Ministri dicuntur Legati, Angeli, cooperarii DEi. Ergo omnino absolute necessarium oportet esse eorum Ministerium. Contra Qvakeri & hodierni plurimi Novatores.

CAPUT XXX.

De

Magistratu Politico.

§. I.

OBligamur DEo & ob institutum ordinem politicum, qvem ut in Scriptura revelatum credimus.

§. II. Magistratum salvâ cum conscientia gerere licet. Probatur (1) qvia est à DEo. Rom. 13, 1. unde & dicuntur Ministri DEi. (2) qvia pro Magistratu orare oportet. 1. Tim. 2, 1, 2. 1. Petr. 2, 13. Contra Anabaptist. & Qvakeri.

§. III. Majestas est immediate à DEO. Probatur (1) ex summitate hujus potestatis. Jam vero qvod summum est, non potest aliqvam qvam summam habere causam, qvæ est DEus. (2) ex Vicariatu DEI, qvem potestas hæc præfert. Jam vero qvod vices alterius tenet, id non potest aliunde qvam ab illo ipso habere potestatem. (3) ex ipso Scripturæ

pturæ asserto. Prov. 8,45. Rom. 13. 1. seq.
Contra Neo. Politici.

§ IV. Competit Magistratui jus bella gerendi, & gladio sontes puniendi. Probatur prius (1) ab ipso Auctore DEo qvi bella legitima & justa præcepit. (2) à Magistratus officio, qvod est etiam gerere gladium. Rom. 13,4. (3) ab approbatione Johannis Baptistæ. Luc. 3,14. (4) ab encomio Christi centurioni dato. Matth 8,10. &c Posterius probatur (1) ab expressa lege divina Gen. 9. 6. (2) ab approbatione Christi Matth. 26,52. (3) ab officio Magistratus à Spiritu S. proba-to. Rom. 13,4. Contra. Anabaptist. Socinian. Arminian. & Fanatici.

§. V. Competit Magistratui & cura religionis. Certi tamen limites sunt constituendi, ne Ecclesiastici & politici ordinis munia confundantur; Sed utriqve debitæ partes relinqvantur. Qvia DEus est DEus ordinis, & vult ut omnia ordine fiant.
Contra indifferentistæ, aliiqve Novatores.

§. VI. Jus Controversias Theologicas publico Ecclesiæ nomine decidendi excluso Ministerio à solo Magistratu non legitime exercetur. Nam Magistratus non est tota ecclesia sed unus saltem ejusdem Status & membrum. Contra iidem.

§. VII. Licet Magistratui & judicia publica exercere. Probatur (1) a divina judicum ordinatione. Deut. 16, 18. (2) à legibus

gibus judicibus ab ipso DEo præscriptis & comprobatis. (3) a probatis exemplis eorum, qvi vel judicis officio fuere functi, vel defensionem & officium judicis implorave re. v. gr. Mosis, Josuæ, aliorumqve; imo & ipsius Christi & Pauli, coram judicio gentium. Contra Anabaptist. Sociniani, Weigelianos &c.

§. IIX. Non licet Magistratui Hæreticum capitali supplicio afficere. Probatur (1) qvia pugnat cum interdicto Christi. Matth. 13, 30. (2) qvia pugnat cum exemplo Apostolorum & praxi primitivæ ecclesiæ. (3) qvia pugnat cum proprietate religionis Christianæ, qvæ neminem vi cogit. Contra Pontificii & Calviniani.

§. IX. Magistratui non licet resistere Rom. 13, 2. Contra Monarchomachi.

CAPUT XXXI.

De

Statu Oeconomico.

§. I.

OBligamur DEo & ob hunc statum. Qvem ut in Scriptura revelatum credimus.

§. II.

§. II. Conjugium est à DEO, eidemq; maxime placet. Probatur (1) a clarissima litera, Gen. 1, 27. c. 2, 18. (2) ab approbatione Christi in N. T. Matth 19, 4, 5. (3) a comprobatione Pauli. 1. Tim. 2, 15. (4) a præscriptis ab ipso Spiritu S. conjugum officiis. (5) quia cum conjugio comparatur magnum illud unionis Mysticæ mysterium. Contra veteres Hæretici, aliiqve nonnulli.

§. III. Ad legitimum conjugium reqvirit etiam consensus parentum. Probatur (1) ex divina jussione, ubi parentibus dantur præcepta de liberis in matrimonium elocandis. Exod. 34, 16 Deut. 7, 3. Jer. 29, 6. 1. Cor. 7, 38. (2) ex officio qvod reqvirit qvartum præceptum. (3) Ex jure naturali. Sic enim liberi sunt adhuc in patria potestate. (4) Et ex legibus civilibus.

Contra Pontificii.

§. IV. Conjugium Spadonum contrahendum non est admittendum. (1) Qvia finis Conjugii non obtinetur. (2) Variis libidinibus occasio præbetur. Contra Nonnulli.

§. V. Levit. XVIII non personæ, sed gradus prohibentur. Probatur (1) ex paritate rationis, qvia nulla ratio est, cur unº gradus, qvi expressus est, prohiberi debeat, non debeat alter, qvi æqve propinquus est, qvam qvam non sit expressus, imprimis cum ille in generali regula contineatur: Non ac-

cedas ad proximam carnis tuæ. (2) ex dictamine naturalis rationis, qvæ prohibitionem in pari gradu semper agnoscit.
Contra nonulli JCti.

§. VI. Cœlibatus in se conjugio non est præferendus. Qvia ad eum suscipiendum nemo lege est adstrictus. Contra Pontificii.

§. VII. Polygamia simultanea non est licita. Probatur (1) ex diserta lege generali prohibente. Levit. 18, 18. (2) ex prima matrimonii institutione. Gen. 2, 24. à Christo approbata. Matt. 19, 5. Marc. 10, 8. (3) ex Apostolica instructione. 1. Cor. 7, 2. 1. Tim. 3, 2. Tit. 1, 6. (4) ex Legum Imperialium sanctione.
Contra Anabaptistæ, & qvam plurimi alii.

§. VIII. Hodie sub respectu ad pauperes necessaria quædam bonorum communio non est urgenda, ita ut facultates divitum de jure divino communes esse pauperibus censeri debeant. (1) quia nullibi illa nobis est injuncta. (2) qvia hæc communio multis periculis, incommodis ac scandalis est exposita. Contra Novatores.

CAP.

CAPUT XXXII.

De *Morte & resurrectione.*

§. I.

OBligamur Deo ob spem beatæ mortis & futuræ glorioſæ reſurrectionis. Qvam credimus.

§. II. Mors fidelium janua eſt ad vitam, uti Infidelium ad mortem æternam.

§. III Corpora noſtra qvamvis poſt mortem corruptionem videant, non tamen plane in nihilum rediguntur. Probatur (1) quia in pulverem revertuntur. Gen. 3, 19. Ergo non in nihilum. (2) qvia corpora in pulvere dormiunt. Eſ. 26, 20. Dan. 12, 2. Joh. 5, 28. (3) qvia Deus omnia oſſa piorum cuſtodit. Pſal. 34, 21. (4) è reſuſcitationis definitione. Qvæ non deſcribitur per novi corporis creationem è nihilo; ſed per corporis hujus è terræ pulvere excitationem. Contra Sociniani.

§. IV. Reſurrectio mortuorum certiſſime eſt futura. Jobi 19, 25. Dan. 12, 2. Matt. 22, 31. Joh. 5, 28. ſeq. 1. Cor. 15, 12. &c. Contra Athei.

§. V. Reſurrectio corporum ex lumine naturæ ſecluſo revelato demonſtrari nequit. Probatur (1) qvia hoc eſt myſterium

omnem omnino rationem transcendens. (2) ex defectu argumentorum ex lumine naturæ petendorum.

§. V. Una saltem est resurrectio mortuorum piorum & impiorum omnium simul expectanda, non duplex prima & secunda. Probatur (1) à silentio Scripturæ. (2) ex contraria scripturæ assertione. Dan. 12, 2. Matth. 25, 31. seq. Joh. 5, 28. seq. (3) qvia resurrectio piorum non ante diem novissimum sed in ipso die novissimo erit futura. Joh. 11, 24. c. 6, 39. seq.

Contra Chiliastæ.

§. VI. Eadem numero & substantia corpora resurgent. Probatur (1) ex clarissima scripturæ litera. Job. 19, 25. Rom. 8, 11. Philipp. 3, 21. (2) ex manifesta ratione. Nisi enim idem numero corpus resurgat, non tam est mortuorum hominum resurrectio qvam novorum creatio. (3) ex perpetuo Veteris Ecclesiæ consensu.

Contra Sociniani.

§. VII. Rigorose loqvendo impii vi meriti Christi non resurgent. Qvia applicatio meriti ejusqve fructus in impiis non datur.

§. VIII. Et impii in Novissimo die re vera resurgent. Dan. 12, 2. Joh. 5, 28, 29. &c. 2. Cor. 5, 10.

Contra Sociniani.

CAP.

CAPUT XXXIII.

De *Extremo Judicio & Consummatione seculi.*

§. I.

ET hic DEO nostro ut judici nostro & potentissimo DEO obligamur. Qvem credimus.

§. II. Meliora tempora ante extremum judicium & consummationem seculi non speramus, exspectamus potius deteriora. Luc. 18, 8. c. 17, 28. 1. Tim. 4, 1. 2. Tim. 3, 1. seq. &c. Contra Nonnulli.

§. III. Conversio qvædam Singularis aut universalis Judæorum ante extremum diem in Scriptura non est prædicta. Probatur (1) à silentio Scripturæ. (2) à maledictione Judæorum. Deut. 27, 15. Psal. 69. Psal. 109. Matt. 27, 25. &c. (3) à pertinaci mediorum rejectione. (4) à Pauli prædictione revelationem Anti-Christi tanqvam ultimum Dei opus maxime memorabile proponentis. 2. Thessal. 2, 8. & cum illa judicium extremum connectentis. (5) a credentium circa ultima tempora paucitate & è contra hæresium & corruptelarum multitudine. Math. 24, 24. Luc. 18, 8. 2. Tim 3, 1. seq. Contra Chiliastæ.

§. IV. Anti-Christum longe adhuc ante

te extremum diem esse exscindendum in Scriptura non legimus, id autem legimus, destructionem totalem Regni Anti-Christi connecti cum adventu Domini nostri Jesu Christi ad judicium. 2. Thessal. 2, 8.

Contra iidem.

§. V. Regnum Christi millenarium ante extremum Diem nullum exspectamus. Probatur (1) qvia prorsus est ἄγραφος, originem suam debens Cerintho & Papiæ. (2) & multis modis est ἀντίγραφος, repugnans conditioni regni Christi in his terris, conditioni civium hujus regni, resurrectionis unitati ejusqve cum extremo judicio connexioni, ejusdem universalitati & simultati, ut & qvalitati, ultimorum temporum malitiæ & difficultati, judicii extremi subitæ & inopinatæ propinqvitati & accessioni, seriæ Christi & Apostolorum exhortationi, studio & desiderio regni cœlestis & superni, non paucis Patribus, omnibusqve orthodoxis Theologis. Qvemadmodum prolixius probarunt illi, qvi contra Chiliasmum scripserunt.

Contra Chiliastæ.

§. VI Chiliasmus omnis est contra Augustanam Confessionem. Provoco ad clarissimam ejusdem literam. Contra iidem.

§. VII. Mille anni Apocalyptici dudum sunt

sunt impleti, ut ex collatione eorundem cū historia ecclesiastica patet. Contra iidem.

§. IIX. Locus divini judicii ignoratur. Nullibi enim in Scriptura exprimitur.

Contra Nonnulli.

§. IX. Christus etiam secundum humanam suam naturam judicabit mundum. Ut patet (1) ex appellatione, qvia judex dicitur filius hominis. Dan. 7, 13. Matth. 24, 30. c. 26, 64. Vocatur Vir. Actor. 17, 31. &c. (2) ex judicis hujus descriptione. Dicitur descensurus, venturus in nubibus, conspiciendus ab omnibus hominibus. &c. (3) Ex potestatis hujus communicatione. Joh. 5, 27. &c. Contra Pontif. & Calvinian.

§. X. Judicabuntur in extremo die (1) Angeli mali (2) omnes in universum homines. (3) Specialiter impii. (4) Singulariter Anti-Christus. ut ex clarissimis Scripturæ locis constat. epist. Judæ v. 6. 2 Cor. 5, 10. Joh. 5, 29. 2 Thessal. 2, 8. &c.

§. XI. Sic & fideles non subituri sunt aliqvod discussionis divinæ in conscientiis suis judicium. Joh. 3, 18. c 5, 24.

Contra Pontificii, & nonnulli alii.

§. XII. Mundus certissime peribit. Psal. 102, 26. seq. Esa. 51, 6. Luc. 20, 33. 2. Petr. 3, 7, 10. Apocal. 20, 11. &c.

§. XIII. Peribit mundus non saltem qvoad qvalitates; sed & qvoad substantiam su-

am. Probatur (1) qvia cœlum & terra ita peribunt, ut non amplius sint. Jobi. 14, 12. Psal. 72, 7. Apocal. 21, 1. (2) Qvia terra & omnia opera in ipsa exurentur. 2 Petr 3, 10. ita ut non amplius memorentur. Es. 65, 17.

Contra Pontificii, Calviniani, & qvidam Nostrates.

§. XIV. Mundum per cometam esse periturum, somnium est humanum. Qvia de eo in Scriptura, ultra qvam hic sapere non licet, nihil habetur. Contra nonnulli Physici.

§. XV. An novum cœlum, novamqve terram Deus in extremo die sit creaturus ex Scriptura apodyctice non constat.

PARS III.

CAP. I.

De

Agendis in genere.

§. I.

OBligationis nostræ *partes*, *actus*, vel *munia*, in qvibus actu ipso jam obligationem nostram debemus contestari, dicuntur *agenda*. Vocantur alias etiam *actiones morales*, *officia hominis renati* & *debita*, Bona *opera*, *virtutes Theologicæ*, &c. Sumuntur autem *agenda* hic *late*, ut & *fugienda* seu *omittenda* sub se complectantur.

§. II.

§. II. Subjectum actionum moralium est vel *Qvod* vel *Quo*.

§. III. Subjectum *Qvod* est totus homo justificatus, & qvotidie renovandus à veteri homine ad novum.

§. IV. Vetus ille homo renatorum consistit in reliqviis illis peccati originalis in hac vita in renatis semper residuis, in qvibus ad huc Imaginem seu Ideam qvandam hominis lapsi repræsentant. Novus vero homo consistit in renovatione illa qvalitatum justitiæ & sanctitatis, in qva Imaginem seu Ideam qvandam qvalem qvalemcunqve hominis integri repræsentant, pro illo scilicet gradu, qvi in hac imperfectione datur.

§. V. Subjectum *Quo*, idqve *primarium* est *intellectus*, & *voluntas*, quæ propterea actionum moralium audiunt principia, de qvibus mox.

§. VI. Objectum agendorum sunt omnia lege divina comprehensa.

§. VII. Norma agendorum est Lex divina, potissimum revelata. Qvæ & *principium* Theologiæ moralis *cognoscendi* est. Nec tamen excluditur *naturæ lumen*, quamvis id per se non sufficiat; sed variis laboret defectibus, quos à *lumine revelationis*, quod in S. Scriptura est, explere oportet, uti Paulus dicit, Rom. 7, 7. De hac lege egimus jam su-

pra *parte II.* Eandem qvoqve utilitatem præstant nobis *exempla Sanctorum* in S. literis enarrata, qvæ intueri jubemur. Phil. 3,17. 2. Thess 3,9. Hebr. 13,7. Jac. 5,10. &c. *Christi* qvidem vita omnis nobis perpetua Imitationis lex est, nisi qvando præstitit, quod suo tantum tempore & persona dignum erat. *Aliorum* autem *hominum* ita intueri oportet *exempla*, ut ad legem divinam examinemus, & qvando inde fluunt, maxime vero cum laudantur, accipienda sunt; cum vero invenimus, pro fragilitate humanâ qvæ à lege DEI discrepant, eiqve repugnent, qvamvis diserte non inveniantur in S. Codice improbata, inde abstinendum est

§. IIX. In ordine ad hanc legem (I) nulla datur *actio moralis indifferens.* Qvia qvæcunqve actio de *formali actionis* non participat, ea actio non est moralis. Habet se autem (II) Lex ad bonum & malum non *antecedenter*; sed *consequenter.* sensus est: *Actio bona vel mala est, non tantum qvia Lex præcipit, vel prohibet: Sed lex præcipit vel prohibet, qvia actio in se suâqve naturâ intrinsece vel bona vel mala est.* Probatur (1) ex ipsâ sanâ ratione, ipsâqve naturâ, qvæ intrinsece ita ad omnem normam & mensuram est constituta, ut eam demum ipsa mensura & norma sequatur. e. gr. Rectitudo & curvitas lineæ

lineæ non demum seqvitur regulam; sed omnino eandem antecedit, imò etiamsi omnes regulæ abessent è mundo, nihilominus tamen linea vel curva foret vel recta. &c. (2) ex natura legis: Lex enim præcipit bona agenda, mala omittenda prohibet. Ergo bonum & malum naturâ suâ antecedit legem. (3) qvia nulla alias differentia inter legem *moralem & naturalem* & *positivam*. Atqve adeo (III) *DEUS vult honestum, non nuda saltem voluntate, sed causa aliqva anteriori.* Probatur (1) ex Levit. 11, 44. Jam vero justitia & sanctitas in DEO est *essentialis*. Dabitur ergo objectum in qvod tendat, quod amet & poscat, non nuda sub ratione *voluti*, sed *justi*, & propter qvod ipsa præcepta DEI vocantur *justa*. i. e. talia, quæ intrinsecam aliquam honesti rationem continent. (2) Qvia DEUS in prohibitione peccati fundamentum arcessit à sanctissimâ suâ naturâ, & illud sibi abominationi esse, iramqve movere commonstrat Levit. 18, 22. Psal. 5, 5, 6. Prov. 16, 22. Qvibus in locis DEUS inimicum peccati se profitetur. Sed non propterea, qvia solum prohibuit, sed qvia fœditas & abominatio in peccato est.

CAP. II.

CAPUT II.

DE
Sanctitate & Perfectione Christiana.

I.

REqviritur ad *perfectam Sanctitatem* habitualis perfectio omnium (1) *partium Subjectivarum*, ut omnibus facultatibus animi & corporis, qvæ actiones respiciunt homo se ad legem divinam componat. (2) *partium objectivarum*, ut in omnibus actionibus & rebus, circa qvas actiones nostræ occupantur, aut occupari debent exactissima illa cum voluntate DEI conformitas observetur. (3) *graduum intensionis*, ut penitus totis agendi viribus, & habituali omnigenâ inclinatione eo feramur, qvo voluntati divinæ satisfiat. (4) *graduum extensionis*, ne ullo loco vel tempore, qvantumvis adverso, exactissima illa conformitas remittatur.

§. II. Et hoc verum est illud *Summum Bonum*, qvod Christiani sectantur. Sola enim rerum sanctitas est, in qva perfectam & perpetuam delectationem vir bonus invenit, *summumqve* adeo, i. e. potissimum hominis *bonum subjectivum*, unde alia omnia propullulant, qvemadmodum DEUM, cujus

jus in sanctitate illà Imago est, *summum* nobis *bonum objectivum* esse, recte dicimus.

§. III. Qvicqvid autem ab hac perfectione ullo modo deficit, *peccatum* est. Cujus enim forma omnem partium & graduum combinationem complectitur, id nullius patitur jacturam. Qvare recte concluditur, necessario omnem hominem aut perfecte sanctum aut peccatorem esse, neqve dari posse aliqvem *intermedium* & *abstractum* statum, qualem in *Adamo Arminiani* & alii plures fingunt, qvi nec *justus* nec *injustus* est.

§. IV. Unde seqvetur puræ & perfectæ Sanctitatis increatæ naturâ non dari gradus nisi *accidentales*. Qvatenus nempe vel firmius radicata est, ne illa excidere possit, sicut *sanctitas paradisaica* differt à cœlesti illâ alterius vitæ, vel ad plura & majora qvis agenda aut intelligenda devinctus capax redditus est qvam alter, qvali gradu differunt Angeli ab hominibus etiam ut in statu integritatis consideratis: Vel qvatenus pluribus, vel paucioribus præceptis divinis obedientia alicujus exercetur. *Duobus* his *posterioribus modis* non tam ipsa sanctitas, qvam ejus exercitium majus minusve redditur. *Priori* vero illo modo sanctitas non tam major, qvam saltem certior est & firmior.

§. V.

§. V. Nec potest sanctitas peccare *in excessu*, qvemadmodum *virtutes Aristotelicæ* vulgo describi solent. Nam (1) ipsa perfectione nihil est perfectius vel superius. (2) voluntatem divinam nemo nimis accurate attendere potest. (3) Natura normæ legis, scilicet divinæ est, ut eam nemo nimis acriter ac intente aut diligentius qvam par est servare possit. Hinc peccatur in sanctitatem solo *defectu*, ut dicimus. Peccatum non superat legem, sed deficit à lege. 1. Joh. 3, 4.

§. VI. Sanctitas hæc qvatenus secundum *objecta formalia particulariter* distingvitur, in plures se diffundit *virtutes morales*, qvarum ipsa omnium continet complexum. Nam *intellectuales*, qvæ dicuntur *Aristoteli* virtutes, si ad legem DEI ejusqve observationem non dirigantur, neque omnino sub *Sanctitatis* nomine comprehenduntur, si vero ad *illam* pertinent & ipsas *morales* ac *sanctitatis habitualis* pars sunt.

§. VII. *Est* autem *virtus moralis habitus intelligentiæ ad certi generis actiones voluntati divinæ exacte conformandas.* Minus autem accurate *Aristoteles* dixit, virtutem *in mediocritate* esse positam: Qvod & plurimi ex ipsis accùratioribus Philosophis agnoscunt.

§. VIII. Qvando extraordinario DEI impulsu & successu qvis qvid egerit, qvod

regu-

regulariter homo nec potest nec debet agere, *heroica virtute* pollere dicitur.

§. IX. Ad hanc autem hactenus descriptam *perfectionem* pertingere non licet. De quo ut & de eo, quousqve progredi detur, jam supra. *part. secunda cap. 21.* diximus conf. & *c. 22. §. 13. seq.* ex qvibus constabit, qvomodo pugnans & supprimens peccati motus Christianorum sit sanctitas. Qvæ vero non langvida; sed fervida, & ad omnes officii nostri partes explendas sedula debet esse. Dicitur etiam *perfectio Christiana*, non qvidem *omnimoda*; sed ut statui ac conditioni nostræ conveniens est, & propterea discriminis causa à Theologis adjecto epitheto *inchoativa*. Qvam *imperfectam* tamen *perfectionem* & *sanctitatem* nostram ac *inchoationem* benigne qvidem Deus accipit & agnoscit. Non tamen ipsam legis suæ regulam inflectit, nec gratia Evangelica illuc tendit, ut quæ naturalis ac perpetua DEI justitia postulat ob infirmitatem nostram emolliantur atqve corrigantur; cujusmodi ἐπιείκειαν qvidam adversarii nostri somniant, de qvibus itidem jam supra: Sed omnes tamen actiones nostræ ad perfectissimæ sanctitatis ac obedientiæ typum dirigendæ atqve examinandæ sunt. 1. Petr. 1, 15. Math. 5, 48. ut qva in re nostri conatus deficiant, qvoqve ulterius

per-

pergendum sit inde addiscamus & eorum quæ attingi neqveunt veniam à DEO qvotidie precemur juxta Psal. 32, 6. & petit. 5. orat. Domin. ut perfectissima justitia Christi, quam fides apprehendit, defectus nostri expleantur. Rom. 8, 3. seq. Emendatio vero illa nostri & sanctitatis perfectioris studium debet esse *summum*, ita ut qvantuscunqve in eâ re conatus noster esse potest, omnino adhiberi debeat incessabile studium & fervidus spiritus. Rom. 12, 11. & ἀκριβῶς ambulemus. Ephes. 5, 15. cum timore & tremore. Phil. 2, 12.

§. X Status renatorum sic viventium vocatur *Sacerdotium regium*, consistens in possessione & usurpatione facultatis cum regnandi supra carnem scil. & concupiscentias, qvas qvotidie mortificamus & crucifigimus: tum sacrificandi bona scilicet opera nostra per fidem DEO acceptabilia.

CAPUT III.

De *Principiis actionum moralium.*

§. I.

PRincipia actionum moralium sunt *intellectus & voluntas*.

§. II.

§. II. *Primum* agendi *principium*, cui omnis aliafacultas in homine subjicitur in naturâ recta est *intellectus*.

§. III. Qvæcunqve intelligimus, vel *naturali ratione* haurimus, vel â *sensuum experientia* vel *junctim* ab *utraqve*.

§. IV. Ratio est *facultas distincte reflectendi super conceptus & cogitationes nostras*. Sensus vero est *facultas percipiendi*; *aut si pro actu sensationis* sumitur, est ipsa perceptio *rerum existentium, sive nostri ipsius, eorumqve, qvæ intus in nobis sunt, sive illorum, qvæ extra nos, aut in superficie corporis nostri existunt*. Illum *internum*, hunc *externum* sensum vocamus.

§. V. Etiamsi dentur actiones qvædam intellectus, qvæ à voluntate regantur; non tamen voluntas intellectum antecedit. Qvin potius primum principium practicum hoc est: *Voluntas semper sequi debet intellectum, & qvicqvid contra sit peccatum est.*

§. VI. Deinde ut intellectus actiones nostras regere possit, oportet, ut qvid agendum vel expetendum sit, quæque finis nostri, qvæqve mediorum adhibendorum ratio sit, recte intelligamus. Hoc igitur secundum axioma practicum est ex priore deductum: Intellectus in iis qvæ ad actiones nostras dirigendas pertinent, debet esse rectus & certus.

§. VII. Objectum intellectus est quic-

qvid ad dirigendas actiones nostras scitu est necessarium, ut Lex, Media.

§. IIX. Ubi obligatio est sciendi, ignorantia etiam & errore peccatur, eoqve gravius, quo ignorantia vel error ille facilius corrigi potuit, atqve ut corrigeretur ad actiones nostras regendas intererat. Hinc ignorantia juris tum naturalis, tum plerumque etiam positivi seu divini seu humani minus excusari potest, qvam ignorantia facti, & magis facti alieni qvam proprii, magis in puero & tyrone qvam in adulto & Magistro. Ubi autem obligatio sciendi nulla est, ignorantia puræ negationis vocatur; hæc autem qvæ legis æstimationi subest, ignorantia privationis, & qvia omnis error ignorantiam in se continet, & qvandoqve etiam ignorantiæ nomine venit, vocatur ille discriminis ergo ignorantia pravæ dispositionis. Qvia autem vincibilis illa sic dicta ignorantia à negligentia attentionis oritur, interest, num illa negligentia à directo consilio reiqve contemptu fluat, qvæ affectata & dolosa dicitur: vel ab affectu tantum rei alienæ, animum sic occupante, ut aliam attentionem excludat, & appellatur culposa. Cæterum omnis qvidem etiam vincibilis ignorantia & qvicqvid inde provenit, minore reatu nos involvit, qvam destinatum volun-

voluntatis consilium, qvia formaliter & directe contra primum obligationis principium non dirigitur. Conf. Luc. 23, 34. 1. Tim. 1, 13. Nulla tamen etiam invincibilis ignorantia excusat facta inde promanantia ab omni reatu. Vid. Psal. 19, 13. Lev. 4, 13. Num. 15, 24.

§. IX. Cum etiam dubitatio sit quidam gradus ingnorantiæ, necesse est ut & illâ eodem modo peccemus, quæ obligatio iisdem gradibus variat, qvibus ignorantiæ reatus.

§. X. Attentio intellectus ad legem divinam & actionum nostrarum ad eam æstimatio vocatur conscientia.

§. XI. Reqviritur autem, ut qvemadmodum rectitudo atqve certitudo exactissima: ita & bonitas conscientiæ, ad omnes actiones nostras concurrat, ut scilicet ubiqve certi simus, nos ea agere qvæ DEO placent, nec tantum persvasi de eo; sed & hujus persvasionis certum fundamentum nacti. Non licet igitur, ut volunt Jesuitæ plures, in qvæstionibus moralibus opinionem seqvi probabilem.

§. XII. In progressu dianöetico lex divina Syllogismi majorem propositionem constituit: Actio nostra minorem: Applicatio vero ejus seu æstimatio ad legem conclusionem. Juxta qvos gradus con-

scientia in propositione legis, in assumptione testis, in conclusione Judicis partes sustinet.

§. XIII. Distingvitur conscientia varie (1) in rectam & errantem. (2) in certam probabilem, scrupulosam & dubiam. (3) in teneram lecuram sive latam & stupidam sive cauteriatam (4) in bonam sive puram & malam, sauciam sive impuram. (5) in pacatam sive hilarem, & turbatam sive anxiam.

§. XIV. Uti in probabili conscientia tutiorem eligimus viam, ita dubitante conscientia plane nihil est faciendum, & in scrupulosa non omnis scrupulus nimis secure est rejiciendus, ubi tamen ab altera parte infallibilis evidentia rationis te convictum tenet, scrupulum qvi ab altera parte injicitur, rectius qvandoqve negligi, atqve cum solvi neqvit, violenter abjici qvam curiose volvi, qvidam Theologi non absre monent.

§. XV. Bonitas Conscientiæ, & qvæ inde pendet, ejus tranqvillitas non tam ab ipso actu intellectus pendet, qvam ab actionibus illis, qvarum est conscientia. Proinde ut fiat bona conscientia nostra & pacata, necesse est, ut omnia peccata, qvotqvot unqvam admisimus sint perfecte expiata. Cujus tamen rei in homine nul-

lum

lum est remedium nisi inveniatur in fide Christiana. Itaqve sangvine Christi oportet purgari conscientias. Hebr. 9, 14. cap 10, 22.

§. XVI. Alterum principium actionum moralium est voluntas. Appellatur hæc vulgo potentia cœca, qvod ab intellectu tanqvam prævio necessario lumine ad objectum suum dirigatur.

§. XVII. Voluntas qvatenus & sensuum objecta ex eorum perceptione simpliciter seqvitur, dicitur appetitus sensitivus, qvi tamen accurate loqvendo distincta qvædam à voluntate potentia non est.

§. XIIX. Primum qvod in doctrina morali de voluntate præsumitur, est libertas, qvæ est vis qvædam animi se ipsum hic & nunc ad agendum determinandi.

§. XIX. Actus voluntatis alii sunt eliciti, qvi soli volendi potentiæ debentur, neqve aliud sunt, qvam ipsissimæ voluntates actuales: Alii imperati, qvi â voluntate egrediuntur, & mediante potentia locomotiva ut vocatur, ceu ancillante ipsi vi qvadam movendi membra efficiuntur. Qvæ potentia etsi tota deberet dependere à voluntate; hodie tamen in statu corruptionis non tantum physicis morbis debilitata est, qvominus obseqvi semper ad nutum possit (qvippe qvi morbus non qvidem in

se; attamen in causa sua peccatum est, qvatenus à peccato hominis eidem adductus est) Sed & ita luxata, ut qvamvis objecti perceptionem voluntatis imperium anticipet, unde subiti motus fervoris, timoris, libidinis &c. etiam invitis nobis suboriuntur, qvi utiqve peccata sunt.

§. XX. Actus Imperati sunt, secundum qvos vulgo voluntatem cogi posse ajunt, secundum elicitos vero non posse. Sed hæc sententia inde oritur, qvod pro actu elicito tantum considerant illum voluntatis nisum, quo mallemus non cogi, & illud incommodum simpliciter tolli. At considerandum est, qvod actus imperatus elicitum præsupponat, neqve possit qvis sciens agere ad minus malum habendum, nisi id minus malum etiam velit, atqve sic etiam ad hunc elicitum actum i. e. hoc qvod agimus volendum, coactio extendatur.

§. XXI. Ob concursum, qvem voluntas habet cum intellectu, distingvitur elicitus actus ejus in subitaneum & deliberatum. Ille est qvi judicium intellectus antevertit, hic qvi seqvitur, & qvatenus actu reflexo placet, dicitur proæreticus. Nihil enim est proæresis nisi voluntas voluntatis nostræ, & qvia actum reflexum infert brutis animantibus non tribuitur.

§. XXII.

§. XXII. Qvia judicium intellectus potest esse tardum atqve interim varie impelli atqve retrahi à motu voluntatis, gradus inter subitaneam obreptionem & proæresin plures possunt numerari. v. gr. dum (1) attenditur ad objectum. (2) accedit subita voluntas. (3) attenditur ad voluntatem. (4) placet illa attentio. (5) suspenditur interim judicium. (6) Idem cum voluntate luctatur (7) tandem vel vincit, ut voluntatem inhibeat, vel vincitur, ut ab ea in consensum rapiatur. Quæ res Scholasticis distinctionem peperit inter motus concupiscentiæ non tantum *primos* qvi prioribus nobis gradibus hic describuntur; & *secundos*, qvi postremo: Sed & primorum iterum in primo-primos, qvos sub n. 2 indigitamus, & primo-secundos, qvos n. 4. & 6. complectimur.

§. XXIII. Lucta non semper est inter voluntatem & intellectum, sed sæpe etiam voluntatis cum voluntate, cum nempe diversarum utrinqve rerum cupido animum distrahit, qvarum una necessario excludit alteram.

§. XXIV. Motus voluntatis est duplex: alius appetens ad rem nobiscum conjungendam, alius fugiens ad illam à nobis disjungendam, ille voluntas in specie dicitur, hic noluntas, positiva nempe, à negativa

tiva differens. Objectum formale voluntatis in specie sic dictæ appellatur Bonum, voluntatis malum.

§. XXV. Variæ dantur voluntatis distinctiones, respectu intentionis est (1) vel directa vel indirecta (2) utraqve vel explicita vel implicita. Cui distinctioni (3) affinis est alia in voluntatem generis & speciei vel individui (4) & ipsa tam explicitæ quam implicitæ & generis alia est absoluta alia conditionalis (5) absoluta iterum vel simplex est vel modalis. Respectu intensionis volendi est voluntas (1) alia formalis alia interpretativa (2) formalis iterum est vel permissiva vel approbativa (3) approbativa iterum vel simplex seu absoluta est, vel comparata. (4) absoluta vel est efficax vel simplicis complacentiæ. (5) efficax vel fervida vel langvida esse potest. (6) fervida vel ordinata vel absoluta est. Ratione subjecti voluntas distingvitur in formalem & virtualem. Ratione signi in tacitam & expressam. Ratione effectus in efficacem (alio sensu qvam supra) & inefficacem.

§. XXVI. Concitationes sive Motus voluntatis qvibus ob arctam animi corporisqve societatem, spiritus etiam animales moventur, & per hos ipse sangvis in corpore, dicuntur affectus, qvi nihil aliud sunt

quam

qvam variæ volendi rationes. Sic voluntas qva res nobis placet dicitur amor, qva vero ipsi nobis placemus propter rem est lætitia: Noluntas qua res nobis displicet, odium & aversatio appellatur, qva ipsi nobis displicemus propter eam rem nobis obvenientem, dolor. Qvi cardinales animi motus pro accedentibus variis opinionibus intellectus, peculiares præterea modificationes atq; nomina accipiut. Ita Amor rei ut futuræ, fit desiderium, & desideriumparis cum alio vel majoris felicitatis, æmulatio, desiderium vicissim placendi ei qvi gratum qvid præstitit, gratitudo (qvæ per se virtus non est) Lætitia de re ut futura, Spes, de re ut certa, fiducia; amor rei præsentis ut augendæ, favor, & amor amicitiæ appellatur, amor ejusdem ut augentis nos aliqvo commodo, amor concupiscentiæ, dolor de re ut futura timor est seu metus. Metus pravæ hominum de nobis existimationis vocatur pudor, metus ne qvod ipse amas tibive cupis, alii obveniat, Zelotypia, metus lædendi eum qvem æstimas, reverentia, metus gravior impediens judicium intellectus, consternatio. Dolor de re ut præsente, qvi fertur ad illam subito amovendam ira est, qvi fertur ad necessitatem ferendam tristitia. Dolor ob sortem alterius qvem amas, misericordia di-

citur, dolor de eo cujus ipse causa fuisti, & quod à te, factum nolles, pœnitentia &c.

§. XXVII. Neque tamen horum motuum voluntatem semper sibi primam causam esse dixerim; sed fieri potest ut tales agitationes vel ab objectis immediate vel à morbo excitentur in sangvine ejusqve spiritibus, qvales voluntas aliqva impensior excitare solet, qvi cum sentiuntur ab animo, quasi quadam phantasia illum obruunt, & ad conformes motus voluntatem trahunt. Contra cujusmodi affectus etiam medicam opem consulere solemus.

§. XXVIII. In omnibus hisce voluntatis affectuumqve motibus fundamentalis involvitur sui ipsius amor, qvo qvisqve sibi bene esse cupit, etiam dum finem malorum sibi qværit.

§. XXIX. Errant qvi putant affectuum alterationes simpliciter exulare debere ab homine sapiente. Attamen duo nobis hic sunt cavenda (1) ne importune vehementes vel tepidi simus, i. e. remissius, velimus, quod vehementius velle oportuit, neqve contra. Apoc. 3, 15. seq. (2) ne ita nos occupet affectus, ut ad alia percipienda, volenda, agenda inepti simus, vel ad ea ipsa etiam, qvo affectus ducere debuit, quod præcipue in furente irâ, consternatione, & diffusâ lætitiâ usu venit. Hic finis

nis est solatii. Math. 24, 6. Marc. 13, 7. &c. Cæterum moderatio affectuum generali nomine qvidem fortis animi esse dicitur, qvatenus valet ad impetum sangvinis & spirituum sistendum, & temperantis, qvatenus valet ad sui ipsius impetum retinendum; Specialiter tamen usu obtinuit, ut qvæ metui deordinato opponitur, fortitudo, & quæ inordinatæ voluntati in gustu & tactu observabili adversatur, temperantia appelletur.

§. XXX. Ab objectis voluntatis distingvendæ sunt (1) operationes intellectus v. gr. admiratio, contemtus, devotio (2) actiones voluntatis imperatæ v. gr. irrisio. (3) meræ cessationes voluntatis sive affectuum ut securitas, desperatio. &c. (4) virtutes & vitia v. gr. mansvetudo, libido.

§. XXXI. Spectantur autem hoc loco principia hæc hactenus recensita non in se. Sic enim hæc omnia in spiritualibus maxime sunt deperdita & à se nihil valent; sed qvatenus iis accedit Spiritus. Adeoqve intellectus non in se, sed à Spiritu illuminatus, voluntas non à se, sed à Spiritu correcta & sanctificata principia fiunt actionum moralium huc spectantium; Spiritus ergo hujus ductum seqvi in omnibus actionibus nostris debemus. Ut autem Spi-

Spiritus hac ratione principium est actionum bonarum hominum, sic phrasi Scripturæ caro principium est actionum omnium malarum & motuum omnium illegalium in corde etiam renatorum sæpius surgentium. Cumqve duo hæc principia sibi sint contraria, hinc est ardua illa pugna in renatis, qvæ vocatur lucta spiritus & carnis. In qva si vincat Spiritus, dominamur peccato, si vero vincat caro, dominatur supra nos peccatum.

CAPUT IV.

DE

Justitia universali.

§. I.

HActenus egimus de actionum principiis, nunc & de rebus ipsis agendum, de actionibus earumqve objectis. Debent autem actiones omnes non tantum agenti congruæ esse, ut cum generalibus regulis officii intellectus & voluntatis conveniant; sed & objectis, ut id, qvod circa illa fit, natura illorum pati possit. Atqve hinc omnem actionem, omnemque voluntatis inclinationem talem esse oportet, qvalem objecti ad agentem

tem respectus vel reqvirit, vel saltem pati potest.

§. II. Fundamentum hoc desumitur ex elementis logicis. Ubi conceptus sunt vel absoluti, vel relati: Et horum iterum alii sunt, qvi tantum dicunt, qualis res sit sibi ipsi, alii tantum qvalis res sit alteri, alii & qvalis res sit sibi ipsi, & qvalis alteri. Sunt autem relativi hi conceptus qvædam mentis compositiones ex consideratione singularum rerum ortæ, & peculiarem ipsis æstimationem adjicientes.

§. III. Relationes secundæ classis, qvas considerasse hic sufficit, fundantur vel in qvibusdam motibus i. e. actionibus, aut passionibus prævis: Vel in fixâ & permanente rei natura, conditione, aut qvalitatibus, qvæ fundamenta conceptibus terminorum relativorum non minus quam ipsa correlata includuntur. Et quemadmodum cognitio rem seqvitur, ita relatio suum fundamentum, ut cum illo vel posito vel sublato stabiliatur, & corruat. Distingvitur etiam qvæqve relatio in formalem, ut in mente æstimantis est: Et fundamentalem ut in re, nec re vera aliud qvid est, quam ipsum relationis fundamentum à relatione formali denominatum. Neqve uno semper fundamento nititur relatio,

sed

sed sæpe pluribus sive æqualiter sive inæqualiter.

§. IV. Relationes hæ sunt vel comparationis, eæqve modo æqviparantiæ, modo disqviparantiæ: vel dependentiæ, eæqve rursus vel subordinationis, vel coordinationis, vel oppositionis sunt.

§. V. Quælibet harum relationum sieam seqvi velis peculiarem reqvirit in correlatis actionum moderationem, qva correlata inter se agant, cum agunt, nempe ut actiones fiant eo modo, qvo correlatis conveniunt, & per qvem relatio subsistere potest. Præstatqve id in homine ratio, ut quæ sibi sit adversus qvemque relatio observare, & juxta eam suas vel regere, vel æstimare saltem actiones possit; estqve hoc officium hominis, ut relationis suæ naturam atqve harmoniam ubiqve observet, ne individua quævis sive actio sive intentio ejus, & qvæ inde resultat nova relatio, generali intentioni atq; relationi, qvæ ipsi cum objecto intercedit, adversa sit.

§. VI. Adstrictio potestatis naturalis ad hanc officii nostri mensuram vocatur obligatio, qvâ id, quod per vires animi atqve corporis alias possemus non posse, aut ad id, unde naturalis alias libertas discedere atqve divagari permittebat, adstricti esse æsti-

æstimamur ob ejusmodi aliqvam relationem & actionum nostrarum regulam.

§. VII. Ipsa vero illa sive agendi necessitas, sive potentia & impotentia moralis, quæ ad ejusmodi mensuram æstimatur jus appellatur, & pro triplici hac æstimationis vi vel est præceptivum vel permissivum vel prohibitivum.

§. IIX. Obligandi principium vel *internum* est, nempe ipsa ex agentis ad objectum, & voluntatis ad intellectum habitudine defluens actionum mensura, qvæ qvia ipsi rerum imo ipsius DEI naturæ indispensabiliter inest, naturalis & æterni juris legisve appellatione gaudet: Vel *externum* est, voluntas nimirum imperantis & cogentis, sive ipsius DEI, sive aliorum, qvibus subsumus. Hoc sensu duplex definitio legis, vel *qvod sit voluntas cogentis signo expressa*, vel qvod sit *signum voluntatis ejus qvi cogit*. Estqve vel *naturalis* vel *arbitraria* seu *positiva*. Qvando vero lex fluit ex interno obligationis principio dicitur habere *vim directivam*. Si vero à voluntate imperantis, dicitur habere vim coactivam

§. IX. A Jure est Justitia, qvæ consideratur vel ut actiones afficit, vel ut agentes. Illo respectu est ipsa actionum cum obligandi principio sive interno sive externo har-

harmonia, seu qvod idem est æqvalitas debiti & præstiti: Hoc vero respectu est perfectio agendi secundum obligationem illam, atqve adeo eadem fere cum ipsa sanctitate. Luc. 1, 75. Eph. 4, 24. Nisi qvod subtiliter distingvendo sanctitas hominem magis denominet respectu sui ipsius, justitia vero magis ut idem respicit alios.

§. X. Regulæ generales Justitiæ, qvæ ex his relationibus fluunt ad regendas actiones hæ sunt. (1) æqvalibus æqvaliâ debentur, inæqvalibus inæqvalia (2) similium similis est ratio, dissimilium dissimilis (3) ut qvisqve prior est in suo genere potior est. Respiciunt hæ regulæ relationem comparationis. Ad relationem vero dependentiæ referuntur seqventes (1) subordinatum seqvitur subordinantem pro mensurâ subordinationis. (2) Coordinatorum eadem est directio & idem conatus pro mensurâ coordinationis (3) oppositorum oppositа est ratio.

XI. Qvæ ex his & aliis æquipollentibus vel inde deductis regulis determinationem non accipiunt, sub jure permissivo sunt, qvo alteri, à qvo non dependes, non licet tibi rem prohibere, qvæ est libertatis tuæ. Unde injuria etiam fit, si libertas cuiqve sua impediatur, aut quacunqve in re qvis læda-

lædatur, cui respectu ejus rei nullo jure adstrictus est. Hæc illa sunt duo juris præcepta, qvæ Justinianus primæ generali, & ad nostri ipsorum curam spectanti (*honestè vivere*) subjicit, *neminem lædere, & suum cuique tribuere.*

§. XII. Ut relatio, ita & obligatio alia est *simplex* alia *mutua*. In *illâ* alter relatorum est obligans, alter obligatus. In *hac* vero uterqve relatorum & obligans & obligatus est, ut ambo sive pari sive impari vinculo, sibi sint reciproce innexi.

§. XIII. Qvoniam relativi conceptus omnes in mente æstimantis hærent, & ad actiones æstimationi conformes tendunt, nec vis obligandi, nisi ab illa æstimatione immediate fluit, certum est, non alii inde aliqvid juris accedere posse, nisi qvi ejus qvod agit, aut qvod sibi fit, & secum agitur sensum & voluntatem & æstimationem aliqvam habere potest. Atqve adeo rebus inanimatis nemo directe, & proprie obligatus est, qvamvis id fieri possit indirecte ac improprie, cum illi obligamur, qvi de iis rebus aliqvid præcipit vel stipulatus est, aut quomodocunqve ad se pertinere judicat, qvod illis accidit. Bruta qvod concernit, illa qvamvis honestatis & turpitudinis re vera capacia non sint, aliquo tamen crassiore modo illa nobis,

& nos illis obligare possumus. Præterea potest obligatio etiam plena intercedere inter eos & cum illis, qvi neqve sensum neqve æstimationem rei habent, dummodo vel aliqvando habituri sunt, ut infantes, & furiosi, vel olim habuerunt, ut mortui, & in delirium insanabile lapsi.

§. XIV. Officia obligationis nostræ considerantur vel ut consistunt in affectu interno voluntatis, vel ut in effectu externo rei vel operæ.

§. XV. Obligatio ipsa ejusqve effectus internus ab obligante non remissus tamdiu durat, quamdiu perstat relatio, cui innititur. Relatio vero mensuram durationis suæ capit à fundamento illo, actione vel qvalitate unde resultat. Desinit igitur obligatio (1) cum desinit esse ille, qvi obligatus est (2) cum manentibus licet subjectis relationis fundamentum intercidit.

§. XVI. Officia amoris licet etiam simul sint justitiæ; specialiore tamen sensu ea demum justitia dicitur, qva agitur secundum obligationem speciali nexu nos ad ita agendum cum objecto hoc potius, quam qvovis alio devincientem, ut fit in relatione dependentiæ. Amori vero acceptum fertur id, qvod etiam ex generali obligatione solo nostro judicio ad objectum

ctum applicatâ procedit, ut fit in relatione nudæ comparationis.

§. XVII. Specialior obligatio, quæ certo aliquo dependentiæ modo nos objecto devincit, oritur vel ab eo, unde esse, statum & conditionem nostram, habemus vel â nobis ipsis factoq ve nostro.

§. XIIX. Vulgaris est distinctio justitiæ in universalem & particularem, & hujus iterum in distributivam & commutativam, qvamvis non accurata ubivis explicatio.

§. XIX. Potest tamen justitia stricte dicta, si pro diversis actionum generibus peculiarem ejus vim consideramus, in plures dividi vel species vel partes: v. gr. in correlativam stricte sumtam, promissivam, restitutivam, commutativam in specie dictam, retributivam, remunerativam, punitivam, divisivam & electivam.

§. XX. Qvamvis nulla actio sit justa, qvæ non etiam sit æqva; differt tamen justitia particularis ab æqvitate.

§. XXI. Qvia autem omnis justitia fundatur in aliqva relatione, neqve obligatio est nisi inter obligantem & obligatum, constat sibi ipsi in propriâ & stricta vocis significatione neminem obligari posse. Verumtamen ut inter terminos ratione tantum differentes vel à subjecto eodem abstractos etiam relatio qvædam rationis

est, ita nec rationis qvandam obligationem, qva per analogiam vel dicendi tropum qvis sibi ipsi obligatus esse dicatur, negare possumus. Accidit id autem (1) cum qvis sui juris non est; sed ratione vitæ & conditionis subjacet alienæ potestati (2) cum certas voluntatis regulas, certumque finem sibi qvis proponit, & secundum illarum ductum aliis studiis & cupiditatibus suis legem figit. (3) cum diversas animi virtutes corporisve partes inter se comparamus, illarumque harmoniam & subordinationem per modum imperii civilis concipimus, exemplo Pauli 1. Cor. 12, 14 seqq.

§. XXII. Objectum adeo obligationis hic occurrentis primum DEUS est, deinde aliqvo modo Angeli & beati cœlites, utpote naturâ & conditione nobis superiores, postea ipsi nobis objecta sumus, & porro alii homines tum dignitate superiores, tum pares, tum inferiores, etiam infantes, deliri, mortui, tandem bruta suo modo, & ipsi diaboli occurrunt, adversus qvos, tanqvam hostes armare se oportet.

CAP. V.

CAPUT V.

De *Naturali erga DEUM Obligatione.*

§. I.

PRimum obligationis noſtræ objectum eſt DEUS. Tenemur illi obligatione tum naturali, tum ſuperinducta.

§. II. Naturalis hæc obligatio ex duplici fonte promanat, nempe duplici relatione, quæ nobis cum ipſo intercedit, altera comparationis, qva ipſi cedimus ut viliores præſtantiori: altera dependentiæ, qva ipſi ſubjicimur, ut res creata Creatori.

§. III. Ante omnia autem debemus agnoſcere, eſſe Deum, ad qvod omnes homines urget inevitabilis animi propenſio. Hunc naturæ ductum debemus ſeqvi, illiqve ad hærere oportet hominem, atqve ab omni incuriâ, & petulantiâ ingenii igniculos hos extincturi penitus ſibi cavere.

§. IV. Argumenta eadem, qvæ docent eſſe DEum, docent etiam Eum eſſe unum, naturæ ſimplicis & perfectiſſimæ. Oportet igitur eos, qvi agnoſcunt eſſe DEum, eum etiam ut DEUM glorificare i. e. dignas Deitate cogitationes de illo habere. O-

portet per viam causalitatis ex ejus operibus omnipotentiam, ex lege sanctitatem, bonitatem & justitiam: per viam eminentiæ ex humana sapientia omniscientiam & providentiam agnoscere: & per viam negationis ex rerum caducitate ejus æternitatem, mutabilitate immutabilitatem, partibilitate & mole corporea immaterialitatem, determinata mensura immensitatem & omnipræsentiam, &c. concludere.

§. V. Hæc existentiæ divinæ cognitio nos obligat ad honorem & obedientiam.

§. VI. Honor est vel internus: vel externus.

§. VII. Honor internus est, qvi in mente est, talis actus qvo præstantiam alterius agnoscimus, & secundum eam digne illum excipere cupimus, ideoqve æstimatio qvædam rei practica est, qvæ non tantum ab intellectu, sed & à voluntate procedit. Convenit autem honor ille DEO summus, qvantusqve animo concipi potest, qvia & naturæ & dominii præstantiâ super omnia eminet, convenit & perpetuus, qvia utrâqve & comparationis & dependentiæ obligatione nos pariter & creata omnia sibi perpetuo devinctos tenet.

§. VIII. Diffundit se honor DEI in actus habitusve mentis varios pro agnitorum

rum DEI attributorum varietate. Sic digna æstimatio perfectionis divinæ generaliter reqvirit *amorem* intensissimum: Meditatio spiritualitatis & invisibilitatis poscit *studium impensius de illo cogitandi & qværendi.* Honor æternitatis & immutabilitatis desiderium constantius illo fruendi. Veritas ejus poscit *fidem*, ut credamus ei sicubi se revelaverit. Bonitas ejus poscit *spem*, justitia & sanctitas ejus *sequelam*, ut eum imitemur, potestas ejus *obsequium*, omnipræsentia & omniscientia *reverentiam* & *timorem*: Sapientia *admirationem* & *laudem.*

§. IX. Honor externus est indicium interni vel sermone, vel gestibus corporis vel qvavis alia actione datum, qvæ vel ad DEum diriguntur, vel de DEO apud alios testantur.

§. X. Ad DEum diriguntur sermones precum, laudes & gratiarum actiones, qvibus nos ejus non tantum magnitudinem & dominium agnoscere; sed & ope indigere & beneficiis ornatos esse profitemur. Nec opus qvidem hic est voce, nedum mult â voce, qvi & mentem nostram intelligit, attamen animi impetus rumpit vocem. Eadem ratio est gestuum corporis, qvibus animum pronum & supplicem testamur. Variant autem gestus pro more & institutis populorum. Hinc debemus DEO ea verba

eosqve gestus corporis, qvos consvetudo fecit summi honoris ac venerationis indicia.

§. XI. De DEO apud alios testamur, ut qvantum in nobis est, vel totum orbem ad eum agnoscendum & honorandum provocemus Fit hoc tum colloqviis, informationibus, atqve adhortationibus, tum exemplis nostris & signis cultus divini publice erectis. Inde convocationes sacræ, ædes & loca publica in eam rem instituta, & forma communium sacrorum non tantum commendata in Scriptura, sed & imperata populo DEI. Qvæ res necessario etiam tempus aliqvod certum, qvod aliis negotiis subtrahatur, in qvovis populo reqvirit, arbitrarium qvidem pro circumstantiarum ratione, freqvens tamen & parvo intervallo repetitum, prout convenit Zelo honoris divini, qvem habere nos oportet. Cumqve hexaëmeri creationis cyclo numerare dies sveverint judæi, qvem divina revelatio suppeditaverat, satis convenienter septeno qvoqve die feriatio publica definita est. Gen. 2, 3. Exod. 20, 8, 9.

§. XII In omnibus actionibus aliis honoratur DEus, cum id agimus illis semper ut ipsi placeamus. Studium hoc placendi pars honoris divini est in ipso animo, dum illum ut exemplar ubivis respicimus & placere

cere DEO ſtudemus cum etiam in ſtatu naturæ conformes nos gerere ſtudemus illis regulis, qvas menti innatas habemus, & æternæ virtutis voluntatisqve divinæ inde indicium capimus, qvod factis exprimamus. Rom, 2, 14. coll. cum. v. 26. ſeq. Studiumqve hoc placendi & conformandi ſeſe DEO anima eſt omnis actionis bonæ, ſine qvo nec honor Deo fit, neque ullus nobis apud ipſum honor acqviritur. 1. Sam. 16, 7. 2 Cor. 8, 12.

§. XIII. Obedientia duplex eſt: Activa, qva agimus, quod DEus jubet, & paſſiva, qua ferimus quæ ipſe immittit. Qvo & ſpectat patientia.

§. XIV. Qvicqvid autem adverſus hanc DEI cognitionem honorem & obedientiam admittitur, peccatum eſt. Quo ſpectat (1) Atheiſmus (2) idololatria (3) ſuperſtitio. &c.

CAPUT VI.

De *Obligatione Fidei, Spei & Amoris.*

§. I.

EX lumine revelato major adhuc & longe auguſtior exurgit erga DEum obligatio. Hic enim non ſaltem ut

rerum omnium creatorem & summum arbitrum veneramur; sed & ut optimum & indulgentissimum patrem suspicimus. Unde illi non tantum ut domino servire; sed & ut beneficio summo affectos grati animi obligatione nos illi adhærere par est. Tria autem sunt grati animi officia (1) ut agnoscamus beneficium (2) ut optimam porro de benefactore opinionem concipiamus (3) ut vicissim ad officia illi præstanda, ut possumus, animo prompto feramur. Primũ fidei, alterum spei, tertium amoris seu charitatis est. Sunt hæ tres illæ virtutes Theologicæ 1 cor. 13, 13. occurrentes.

§. II. Fides prout ad virtutes h. l. refertur, non qvidem tota est obedientia DEO debita; pars tamen ejus & consistit in intellectus ac voluntatis nostræ ad auctoritatem divinam submissione.

§. III. Ut tres fidei actus vulgo distingvimus, ita ratione cujusqve illorum tum passivam (tanqvam conceptu priorem) tum activam obedientiam nostram considerare oportet.

§. IV. Notitiæ hauriendæ obstat *primum* defixa in rebus hujus mundi occupatio. Deinde obstat morosa qvædam inertia & contemtus Dei positivus. Ut igitur passivum DEO obseqvium præstetur, & admittatur sine obice divina mentis illumina-

tio,

tio, qvæ à verbo divino promittitur, abesse oportet ejusmodi malitiam ab animo & ita moderata nos capi terrenarum rerum cura & amore, ut memoriæ tamen & curæ divinarum locus relinqvatur. Activum ratione *notitiæ* obsequium DEO præstatur *primum*, cum ad ea attendimus, qvæ ille nobis sive in Scripturâ Sac. sive per vivæ vocis ministerium loqvitur. *Secundum*, ut cujus voci attendimus, eum qvoqve loquentem distincte agnoscamus. *Tertium* ut sensum ipsum revelationis divinæ seu dogmata quæ per illam patefiunt, recte intelligere studeamus. Qvod fit frequenter audiendo, legendo, ruminando, meditando Scripturas, & quæ inde proferuntur.

§. V. Circa assensum obedientia passiva est, qva argumentis rerum sua vis permittitur, ut intellectui se commendent eumque ad conforme veritati judicium trahant. Activa vero est, cum causas certitudinis ad animum revocamus & intellectum ope divinæ gratiæ elevatum ut ducem seqvi, & sic rem, qvalis esse deprehenditur sine fuco amplecti amamus.

§. VI. Fiducia fidei in primo conceptu infert adhæsionem seu assensum voluntatis (sicut ille prior fuit assensus intellectus) i. e. approbationem & acceptationem.

nem rei ut bonæ gratæqve nobis, qvaratum habemus, qvod offerri à DEO intelligimus. Cum vero hic maxime obstet in aliis superbia, in aliis timiditas, diffidentia, suspicio & dubitatio. Hinc operatione Spiritus S. opus est, qvæ nos regat, & obedientiâ nostra passiva, qva à voluntario excessu nobis temperantes utrumqve illud vitium in nobis patiamur supprimi, & motus animi justa lance libratos ad salutarem scopum propelli, ut & hinc ora gloriantium obthurentur Eph 2, 9. Rom. 3, 19. Et illinc subtrahentium se damnabilis diffidentia sistatur. Hebr. 10, 38. Et sic sine obice admittatur gratia oblata. Quæ admissio fides passiva Theologis qvibusdam audit. Ut activæ obedientiæ fiduciam concipiamus, opus est prona voluntate per virtutem Spiritus S. excitata, gratiam evangelii prædicatam nobis cupiente atqve applicante. Qvod enim consensus intellectus generali notione includit id, voluntas nobis applicat specialius. unde & fiducia dicitur specialis.

§. VII. Distingvenda hic præcipue fides prima & directa est, à secunda & reflexa. Nam aliud est credere gratiæ oblatæ, eamque acceptare, aliud credere se illam jam accepisse, & justificationem, adoptionem, sanctificationem sui factam esse.

Hæc

Hæc ex illa seqvitur, & uberior nostri confirmatio est, gaudio pleniore animum perfundens. Ubi tamen sæpius tentatio non procul est.

§. IIX. Objectum fidei personale est, cujus autoritati credimus, qvi principaliter DEus est, minus principaliter illi, qvorum ministerio DEUS utitur. Reale vero objectum pro diversa fidei consideratione in triplici latitudine positum est. Nam qva historica est, seu notitia & assensu solo absolvitur, omnia revelata complectitur: Qva fiducialis est omnes tantum promissiones: Qva specialiter salvifica non nisi gratiam per Christum nobis partam.

§. IX. Ex fide nascitur spes. Qui enim præsentem gratiam possidet, & futuram ulteriorem sperat. Et hæc duo charismata tam arcte inter se cohærent, ut fere non nisi mente & ratione distingvantur. Nam & fides qvædam spes, & spes qvædam fides est. Differunt tamen conceptu & objecto formali, dum fides respicit rem ut præsentem, spes ut futuram.

§. X. Spes qvæ in DEO ponenda fidei debet esse conformis. Res autem qvæ sperandæ sunt à DEo, sunt in genere omnia, qvæ amore ejus paterno digna sunt, & ad nostrum commodum pertinent, Rom. 8, 32.

32. 1. Tim. 4, 8. Sed qvædam illorum determinate promissa sunt, de qvibus spes certa & fixa est. Alia indeterminate & sub generali notione optime nobis prospiciendi promissa sunt, neqve adeo nisi sub hypothesi tum utilitatis nostræ ea in re versantis, tum liberi decreti divini ex variis procurandi boni nostri modis, eum qvi ipsi placet eligentis, sperari debent. Ad hanc classem pertinent omnes speciales rerum eventus, qvorum peculiaris revelatio facta non est.

§. XI. Sicut fides causa est sperandi, ita utraqve & fides & spes causa est redamandi. Hinc est Amor ille reciprocus, qvo DEum benefactorem proseqvimur.

§. XII. Distingvitur amor in eum qvi est concupiscentiæ & qvi est amicitiæ. Ille fertur in rem, ut usu vel possessione sui augentem. Hic fertur in rem simpliciter ut servandam vel augendam.

§. XIII. Ex coalitione autem affectus amicitiæ & concupiscentiæ oritur distinctio amoris divini in affectivum, qvatenus nos afficit delectatio bonitatis & excellentiæ divinæ: Et effectivum, quatenus procuratio etiam honoris ejus nobis grata est, ut voluntati ejus satisfacere studeamus.

§. XIV. Ut autem pateat, qva ratione

Amor

Amor DEI ex fide fluat, duplex ejus cum illa vinculum docendi causa distingvendum est: alterum naturale, qua affectivus est, alterum morale, qva effectivus est.

§. XV. Naturale vocatur non qvod homini sine gratia Spiritu S. inest; Sed qvod ex natura affectus fiducialis divinitus excitati seqvitur per se, dum vita fidei in internis gaudii motibus consistens, sicut amorem rei de qua gaudemus involvit, ita & amorem ejus, qvi gaudii causa est, qua talis necessariò secum trahit. Morale vinculum est, qvod sola recti & honesti conscientia animo dictitat, dum intelligimus omne beneficium esse obligatorium, idqve ex natura subordinatorum. Et idem Spiritus S. qvi accendit in nobis desiderium acceptationem & gaudium salutis nostræ, idem quoqve excitat naturalis & æternæ hujus honestatis considerationem, & ex consideratione animi studium. 1. Joh. 4, 19. Neqve alterum illum animi motum sine altero patitur radicari. Studium vero illud animi in qvantum dirigitur ad ipsum objectum obligationis nostræ, ipse motus amoris est, qvo DEO cupimus qvod ipsi debetur. Compensatio autem qvædam ut DEO detur plane fieri neqvit, tum per naturam ipsius DEI, tum per naturam nostram. Restat

ſtat igitur ut omne ſtudium noſtrum in illo occupetur, ut gratia & beneficio divino ita utamur, quemadmodum ipſi placet, & qvicqvid ipſi qvomodocunqve gratum facere poſſumus, ipſi viciſſim præſtare optemus. Atqve ita charitas ſeqvitur naturam fidei, ut qvemadmodum hæc novit finem, in qvem ſibi beneficia data, ita illa eundem cupiat obtinere & pro menſura cognitionis affectum filialem dirigat ad honorem DEI adoptantis 1. Tim. 1, 5.

§. XVI. Eſt autem hoc charitatis præceptum omnium maximum. Marc. 12, 30, 33. qvia agit directo de objecto ſummo & nobiliſſimo, ex cauſa omnium maxima & dominii & beneficii ejus.

§. XVII. Peccata hic ſunt quævis incredulitas & infidelitas, apoſtaſia, hæreſis, ſecuritas, metus ſervilis & deſperatio, temeritas qvævis, DEI & rerum ſpiritualium averſatio & odium, item tepiditas, &c.

CAPUT VII.

De *Laude & Confeſſione DEI.*

§. I.

AD complementum amoris pertinet, ne ſolo pectore claudatur; ſed foris

ſe

se prodat & verbis & actionibus. Et omnino inter est, ad honorem DEI, qvi est finis noster, ut externis signis non tantum ipsi ad impensiorem ejus venerationem indies excitemur, sed etiam alii plures, & quæ nobis sit amandi causa omnibus pateſcat. Ideoqve ante omnia profiteri fidem suam & alios pariter adducere ut credant, & DEum amare discant, amoris officium est. Id qvod fit laude ac celebratione gloriæ ac beneficiorum ejus, qvæ præcipua species est honoris externi ipsi debiti.

§. 11. Laudatur DEUS primum ipso exercitio, cum vel voce prodimus vel actionibus ipsis, quid DEO debeamus, qvantoque eum & amore & veneratione proſeqvamur. Voce quidem, cum ruminamur magnitudinem & beneficia ejus, sive ut memoria suggerit, sive ut lectio libri, eoqve nomine illi gratias agimus, exemplo Apostolorum. 1. Petr. 1, 3. seq. 2. Cor. 1, 3. Eph. 1, 3. seq. Vel hymnis & psalmis decantamus, ut fecere Moſes, Debora, &c. Col. 3, 16. Actionibus autem, cum omnes affectu tam sancto & fine vocationis nostræ dignæ sunt Eph. 4, 1. Phil. 1, 27. Huc pertinet etiam obedientia passiva, cum ob nomen DEI fortiter tolerantur omnia adversa. Procuratur ita

gloria DEI apud alios indirecte & per modum exempli, dum qvid se deceat, qvisqve inde intelligit. 1. Thessal. 1, 7. Phil. 3, 17. Neqve tantum fideles in fide confirmantur, ac imitationis studio accenduntur; Sed & infideles bona opinione de DEO & religione vera imbuuntur. Deut. 4, 6. 1. Petr. 3, 16. Unde & Martyres i. e. testes Christi κατ' ἐξοχὴν vocantur in Ecclesia.

§. III. Deinde vero laudatur DEUS institutione & exhortatione aliorum directa ad magnalia Dei agnoscenda, cum nempe vel confirmantur fideles, vel docentur rudes, vel excitantur tardi, vel monentur hostes fidei & gloriæ divinæ. Ut autem in omni illo hominum genere, apud qvos laus & gloria Dei promovenda est, diversi gradus ruditatis, securitatis, timiditatis, erroris aut odii dantur, diversæqve partes religionis, in qvibus ita hallucinantur: ita & finis circa illos & modus agendi variat, ut alia & in aliis partibus institutio, excitatio & confessio nostra reqviratur.

§. IV. Peccatur contra hunc finem & privative, cum negligitur honor DEI, ubi promoveri poterat, & contrarie cum oppositis studiis homines feruntur, ut blasphemiis, pravis opinionibus & odio veritatis, fidei dissensionibus & schismatibus:

Qua

Quæ omnis laudis divinæ neglectio, sive contrarii vitii directa vel indirecta procuratio generali voce à Theologis scandalum vocatur.

§. V. Obligatio promovendæ gloriæ divinæ omnibus qvidem summa est, uti summa obligatio est amoris. Exercitii tamen obligatio diversa est, & cuiqve amplior strictiorve prout major ipsi vel minor potestas, seu interna virium animi & corporis, seu externa officii & imperii data est, Luc. 12, 48. Sic e. gr. institutio & excitatio publica fidelium cum administratione Sacramentorum Presbyteris & Doctoribus ecclesiæ est demandata, juxta praxin Apostolicam Tit. 1, 4, 5. 1, Tim. 5, 17. Sic & conversio infidelium iis, qvibus vel sors inter illos vivendi, vel otium & peritia obtigit, &c.

§. VI. Confessio illa omnis, ut vel exercitio pietatis vel institutione ad laudem DEI dirigitur, qvia naturam signi habet, infert harmoniam & cum signato, qvod in animo hæret, & cum intellectu & ingenio eorum, quibus signum fit, in illa veritas confessionis consistit, ab hac proferendi modus laudatur. Signatum est tum objectum animi, tum nostra circa illud affectio, qvorum neutrum sine altero exprimi potest, sicut in omni rei affirmatione in-

ne ineſt judicium affirmantis. Ergo qvi DEum laudat, & magnitudinem ac bonitatem ejus notam facit, idem ſuam de illo fidem, ac amorem, quo eum complectitur, pariter indicat. Unde veritas orationis & ſigni cujusvis duplex eſt, altera *formalis*, qva cum mente ſignantis, vel loqventis, convenit: Altera *materialis*, qva cum re de qva agitur. Qvæ niſi utraqve concurrat, vana & futilis eſt omnis illa externa profeſſio. Math. 15, 8. 9. Pſal. 9, 2. Pſal. 86, 12. Pſal 111, 1.

§. VII. Intereſt autem omnino, qvid directa animi intentione agas, utrumne divinæ tantum excellentiæ & bonitatis, an tui potius amoris atqve fidei teſtimonium edere cogites. Illa enim intentio ut honori divino propria, ita per ſe bona & ſancta eſt. Hæc nonniſi cum ab altero illo fine dirigitur, nempe cum ad honorem DEI pertinet, ut alii ab exemplo tuo confirmentur. Non autem ſe inſinuare hic debet ſubtilis qvædam ambitio.

§. IIX. Ad veritatem materialem laudis & confeſſionis DEI pertinet, ne qvalemcunqve; ſed ut orthodoxam tantum religionem profiteamur, atqve commendemus. Hic eſt juſta omnino damnatio eorum, qvi putant, ex mendacio ſuo veritatem DEI reddi glorioſiorem, unde & recte

recte improbatur ineptus eorum Zelus, qvi apud Pontificios per pias, qvas vocant, fraudes & conficta miracula tentant infideles & hæreticos convertere. Quos imitantur apud nos, qvi personatos Christos præcipue vespere natalis Domini pueris proponunt.

§. IX. Ad veritatem formalem pertinet, ut animo puro ac sincero velis & cupias, qvod præ te fers, tantaqve fide atqve pietate reapse polleas, qvantam externa DEI laude profiteris. His repugnat hypocrisis

§. X. Respectu ejus, cui significatio fit, reqviritur, ut signa sint apta tum ad intellectum illuminandum, tum ad voluntatem movendam. Signa illa sunt verba, gestus, & actiones qvævis ex habitu veræ religionis fluentes. Verba ad docendum & in memoriam revocandum pertinent. Ut vero perspicue loqvamur de magnalibus DEI opus est (1) lingva vulgo nota (2) stylo plane & facili pro captu audientium. Atqve hinc distingvenda Catechesis rudiorum & acroamatica informatio peritiorum. (3) verbis ab omni specie malæ falsæqve sententiæ alienis. 2. Tim. 2, 15. Tit. 1, 11.

§. XI. In verbis & actionibus circa sacra susceptis observatur perspicuitas, cum

(1) id agitur qvod in omni cultu divino communiter obſervatur. (2) cum ſigna venerationis eo loco atqve tempore fiunt, ubi de intentione agentis, deqve ipſo objecto, qvo tendit, nulla dubitatio eſſe poteſt. (3) cum ritus ſeqvimur faciles, qvi ipſam rem, qvam verbis commendamus, quodammodo interpretentur (4) Si tanto ſe intervallo taliqve ordine excipiant, qvo & conſiderari commode poſſunt & res ſignificatæ naturaliter cohærent. Quare triſtia non ſunt lætis inſerenda (5) cum conſtantia fuerint nullis contrariis actionibus illorum ſignificatione obfuſcata.

§. XII. Voluntas movetur directe per ea, qvæ qua talia grata ſunt, indirecte per ea, quæ æſtimationem ſive dignitatis ſive neceſſitatis rei adjiciunt. Illa tædium excludunt, hæc conſenſum: Verbis autem cum commendatur religio ad gratam illi dulcedinem concilandam proſunt & lingva ipſa, & elocutio ornata, ac copioſa (qvo & ſpectat modulatio hymnorum &c.) & præcipue rei propoſitæ, argumentorumqve ſelectus ordo.

§. XIII. Ut vero pariter dignitatis æſtimatio religioni adjiciatur, oportet omnia hæc alliciendorum animorum media ad finem ſuum ſollicite dirigere, ne aliò,

liò, qvam qvo debuit, aberret audiendi facilitas.

§. XIV. Gestus & actiones circa sacra gratæ sunt vel ob civilem & indifferentem, vel ob turpem causam v. gr. certi generis superstitionem, quæ vero jure ac merito anathema nobis est. In illa vero prudenter cedimus hominum ingeniis, cum volumus, ut, qvod agitur, placeat.

§. XV. Ad æstimationem autem dignitatis, ut religioni profint actiones, eadem gravitas illarum, quæ verborum moderatio reqviritur. Qvod fit tum negative, si memoriam omnis rei turpis aut ludicræ à sacris abstrahas: tum positive, si attendas ad ingenia hominum, quid prudenter & appositè factum judicare soleant. Ut autem variant judicia & mores hominum; ita variant qvoqve rerum signa. Aliud publicus aliud privatus svadet confessus, aliud nostræ ætatis, aut loci mores poscunt, quam qvod olim laudabatur aut alibi hodieqve fit. &c.

§. XVI. Media hæc movendorum animorum, etsi æque ad malum ac ad bonum finem adhiberi possunt, ad bonum tamen debent, ita ut qvi illa negligit ubi adhibere feliciter poterat, procurationem gloriæ DEI negligat, & adversus illam

peccet tot modis, qvot contrarios actus modo recensuimus.

CAPUT VIII.

DE

Precibus Juramentis & Votis.

§. I.

LAudamus est confitemur qvoqve DEUM nostrum precibus nostris, juramentis & votis, ceu actibus æque amoris ac fiduciæ & reverentiæ.

§. II. Differunt adoratio, invocatio & preces: Hæ sunt desideria nostra apud DEum exposita, illa est ipse actus eadem exprimendi; ista vero inclinatio corporis, vel qvivis gestus exterior.

§. III. Preces religiosæ soli debentur DEO, eæque in nomine Christi i. e. vi meriti & intercessionis ejus in verâ fide institutæ. Et reqviruntur (1) desiderium verum & ardens (2) seria mentis attentio ad DEUM, qvem precamur, qvi repræsentandus qvidem; sed per sublimationem mentis ab omni materiali conceptu. Joh. 4, 24. (3) agnitio indigentiæ nostræ. (4) vera nostri humiliatio. (5) fiducia certa.

§. IV. Petimus precibus nostris ea qvibus

bus indigemus, & qvidem bona ſpiritualia abſolute, corporalia cum conditione, ſi nobis proſint.

§. V. Formulas precum varias qvidem habemus præſcriptas in S. Codice; nec tamen rejiciuntur illæ preces, qvibus à teneris aſvefacti, vel quas ex libellis precatoriis petimus.

§. VI. Qvia DEUS præcipue communes fidelium preces ſe auditurum eſſe promiſit, præſtat junctas cum familia & cum tota eccleſia fundere. Quamvis nec à loci nec à temporis conditione preces dependeant.

§. VII. Jurare licet homini Chriſtano etiam in rebus temporalibus propriumque commodum concernentibus.

§. IIX. Juramentum eſt ſpecies precum, eſt enim actus qvidam religioſus, qvo DEus invocatur ut teſtis & vindex veritatis, cordisqve noſtri ſcrutator in DEI gloriam, proximi utilitatem noſtramqve innocentiam. Simulqve ſive tacitam ſive expreſſam ſui devotionem continet, ſi qvid contra veritatem dixeris.

§. IX. Jurare non niſi per nomen veri DEI oportet, dum ſcilicet teſtis & vindex religioſe invocatur, qvi & ſciat & punire poſſit. Deut. 6, 13.

§. X. Juramentum diſtingvitur in aſ-

sertorium, quo quis affirmat vera esse qvæ dixit; Et promissorium, quo qvis promittit se præstiturum qvid esse. Hujus juramenti ea vis est, ut nisi ipsum ratione objecti sit illicitum, id promittens qvod præstare per jus divinum non licet, omnino illi insistas. Levit. 19,12. Matth. 5,33.

§. XI. Votum est promissio religiosa DEO de re possibili ipsique grata ex libera voluntate facta promissio. Juramento promissorio qvodammodo æqvivalet, ideoqve eadem sanctitate servandum.

§. XII. Sub votum tantum cadere possunt ea, qvæ honorem DEI vel nostrum officium, ad quod DEO obstringimur per se & ex intentione voventis promovent, sive jam tum sint specifice à DEO imperata sive minus. Neqve debet voveri id, de cujus præstatione vel possibili vel licita certus non es. Qvare vota cœlibatus monastica recte damnantur.

§. XIII. Finis voti est ut hoc tanqvam adminiculo fervidius gloria Dei qværatur & divinis legibus præstetur obedientia.

§. XIV. Peccatur hìc neglectione precum & si non adsit devotio, item perjuriis, reservationibus mentalibus, juramentis temerariis, votis temerariis & non præstitis, persvasione sanctitatis cujusdam singularis. &c.

CAP. IX.

CAPUT IX.

DE

Officio erga Angelos & beatos Cœlites.

§. I.

ANgelos & beatos Cœlites amore nostro esse dignos constat, & si nobis apparerent, ut Patriarchis & in monte Matth. 17, 3. honore iis conveniente prosequi par esset, beneficia qvoqve qvædam ab iis petere liceret, exemplo Lothi. Gen. 19, 10. Cum autem tale mutuum commercium visibile amplius nobiscum non habeant, nec apparitiones ejusmodi sunt expectandæ, cum nullæ sint promissæ, nec adorationis cultu eos prosequimur, utpote qvi nullum in nos habent imperium.

§. II. Officia autem nostra erga Angelos bonos sunt (1) eos amare (2) peccatis eos non offendere. (3) virtutes eorum imitari (4) virtutes eorum laudare exemplo Davidis Psal. 103.

§. III. Sic & officia nostra erga beatos cœlites sunt (1) virtutes eorum laudare. (2) easdem imitari. (3) vitia vitæ anteactæ fugere (4) famam eorum contra malevolos defendere. (5) bene de iisdem loqui

loqvi & scribere. (6) spectat huc qvoqve sepultura. Quam omnibus quidem hominibus, etiam impiis, præstamus in honorem generis humani & ad avertendum non minus viventium horrorem; (nisi qvod in paucis quibusdam exemplum supplicii ob oculos perpetuum esse voluerunt Legislatores) Piis vero & sanctis specialiter ad ostendendam æstimationem virtutis & bonam qvam de illorum salute concepimus, opinionem, tum & ad nostri ipsorum præparationem excitandam, atq; ad simile beatum exitum, majore cum solemnitate parare par est, multo minus pati ut ullâ contumeliâ ossa ipsorum afficiantur, ita tamen ut absit omnis superstitio.

CAPUT X.

De *Officiis hominum superstitum erga se invicem.*

§. I.

HOmines hominibus debemus ante omnia amorem, in qvo omnis vis legis divinæ versatur. Rom. 13, 8. seq. Gal. 5, 14. sed amorem parem illi, qvo nos ipsos prosequimur. Matth. 22, 39.

§. II.

§. II. Amor autem duplex est juxta Schos lasticos, alius Amicitiæ, qvi est affectus quo alteri principaliter & sine alio respectu bene cupimus; alius concupiscentiæ, quo alteri quidem bene cupimus; sed propter nos, ut illo rectius fruamur. Hic cauponarius, ille verus amor est.

§. III. Etsi amor erga omnes homines absolute consideratos qvatenus homines sunt, æqvalis esse debeat, tamen ex variis ipsorum meritis comparative crescit vel imminuitur.

§. IV. Sicut autem ordo est inter alios sine nobis consideratos, ita etiam inter nos & alios, ut, cum pluribus prospici neqvit, nobis quidem possimus magis cupere qvam aliis, sicut vulgo dicitur: Charitas à nobis ipsis incipit. Attamen cum alios intelligimus qvovis modo digniores nobis esse. v. gr. sanctitate morum vel prodessendi aliis facultate, etiam illos nobis praeferre oportet, & sic qvoqve vitam pro fratribus ponere. 1. Joh. 3, 16.

§. V. Amoris effectus sunt optima de aliis præsumtio & sollicita de eorum commodis cura.

§. VI. Ex optima praesumptione fluit, ut maledicis aliorum lingvis non delectemur, nec facile credamus, nedum illos imitemur.

§. VII.

§. VII. Cura de commodis duplex est, de faciendo bono & avertendo malo. Cumqve bonum & malum tam sit animi, qvam corporis, ad utrumqve respicere debet, qvi alium amat. Qvo autem qvisqve plus virium habet alteri benefaciendi vel avertendi incommoda ejus, eo magis etiam ad id obstrictus est.

§. VIII. Qvemadmodum vero nobis ipsis non tantum consilio prosumus, sed ante omnia etiam precibus ad DEum fusis: ita oportet & aliorum causam Deo precibus iisdem & pari vehementiâ desiderii commendare.

§. IX. Studium conferendi bona corporalia vocatur vulgo beneficentia, & qvatenus miseros respicit, misericordia. Exercenda autem est opere ipso, sive manuum auxilio, vel oris, sive suppeditatione eorum, unde inopia levari potest, qvæ dicuntur Eleemosynæ.

Erogatio eleemosynarum.

§. X. Studium conferendi boni spiritualis consistit tum in informatione rudis & errantis, pro cujusve viribus, statu & conditione necessaria, consolatione tristium, & elencho peccantium, qvi ut salutaris sit distinctis gradibus suscipiendus & iterandus.

§. XI. Species etiam beneficentiæ est morum svavitas, qva nos gratos præbemus illis, qvibus cum versamur, & consistit in

appolite

appoſito ac prudente temperamento tum ſermonis, tum qvorumvis corporis geſtuum. Prompta etiam honoris ſignificatione cuiqve occurrere decet, aliorumque incommodos mores juſta manſvetudine & patientia feramus. Qvomodo huc ſpectat Ariſtotelicorum illa urbanitas.

§. XII. Qvemadmodum autem amoris effectus eſt benefacere & alienum malum avertere, ita multo magis cavere ne ipſe malum alteri facias, i. e. ut nec iracundiâ, nec moroſitate, nec ambitione moleſtus ſis. Gal. 5, 22. Neqve imprudente nedum doloſo conſilio noceas, neqve qvovis modo aliis damnum concilies. Indirecte autem nocetur alteri malo exemplo, qvod qvando ſanctitati morum officit, ſcandalum dicitur, de qvo jam ſupra.

§. XIII. Amor qvidem hominum poteſt eſſe nimius, cum excedit modum, qvo nos ipſos amare decet, & redditur idololatricus, ut amori DEI illum præponamus aut exæqvemus. Sed & cum directo exceſſu nimius non eſt, poteſt eſſe imprudens, dum nempe commodis alterius incautius ſtudemus, aut auctoritatem ejus ſeqvimur, ut vel alteri noceamus, vel nobis ipſis, imitando mala pro bonis, vel ei qvem amamus cœca obſecundatione illum in errore confirmando. Qvod genus peccati placendi ſtudium vel ad ulatio vocatur. CAP.

CAPUT XI.

De *Officio inter superiores & inferiores.*

§. I.

Superiores vel cum potestate sunt vel minus. His tantum honor debetur pro ratione eminentiæ; illis vero & obediendi promptitudo pro modo imperandi, qvo pollent. Est autem potestas inter homines vel publica, sive civilis sive ecclesiastica, vel domestica & privata, nempe herilis, paterna, maritalis. Civilis est Magistratus, ecclesiastica Sacri Ministerii, utraqve non minus qvam domestica est à DEO ordinem illum instituente.

§. II. Potestas omnis oritur vel à facto superioris, si nempe producat eum qvem in potestate habet, qvalis est patris in filium; vel à facto inferioris, si se sponte subjecit: qvalis est domini in servum se ipsum vendentem, vel Reipublicæ in advenam civem, aut Regis in populum à qvo eligitur: vel à facto utriusqve, cum alter cogit, alter metus causa paret. Qva ratione pleraqve imperia sunt constituta. Qvamvis autem coactio ita sit injusta, ut potestatem alteri legitimam non pariat; non tamen inde datur

datur rebellandi justa causa illi, qvi semel in potestatem cogentis concessit.

§. III. In omni imperante distingvendum est jus ab officio. Illud est, qvod & externum jus vocare qvidam solent, cui nemo jus & potestatem habet sese opponendi: Hoc vero, qvod cum lege morali divina convenit. Ita jus Regis describitur. 1. Sam. 8, 11, seqq. Officium vero Regis describitur. Deut. 17, 16. seqq.

§. IV. Officium itaqve Imperantis est, eos qvos potestate complectitur, tueri ab omni injuria, bonis legibus regere, commodisqve eorum, qvantum potest, prospicere, & proinde (1) armis arcere hostes (2) facinorosos plectere. (3) luxum omnem & pompam moderari, ne ultra vel jus vel vires oneretur populus. (4) In omnibus publicis oneribus justitiam distributivam, in singulorum causis commutativam observare. (5) Religionem veram promovere, falsamqve arcere (6) comem se atqve affabilem omnibus præbere. 2. Sam. 14, 17. (7) omnium rerum curam ita gerere, ne aliis rem male administrandi detur occasio, nec qvos id facere deprehendit, toleret.

§. V. Dominium herile privatum sua natura gravius est dominatu politico, qvia cives sæpe multis privilegiis potestatem

imperantis circum scripserunt, qvibus non circum scribunt servi. Sed Magistratus tamen illam potestatem sæpius limitat. Officium autem patrum familias est, non sævire in familiam, nil ultra vires famulantibus imperare, neqve fortunas illorum impedire, sed promovere potius, eos alere & sua auctoritate tueri ab injuria, præcipue vero æternæ salutis ipsorum curam gerere. Col. 4, 1. Ephes. 6, 9. malitiam etiam ipsorum licitis & honestis modis cohibere.

§. VI. Parentum qvidem in liberos imperium etiam sola superiore Magistratus potestate limitatur, ut sine illa sit herili par: Qvia tamen naturalis in liberos amor tenerior est, qvam in extraneos, officium parentum est, majore svavitate imperium illud temperare, honestiori illorum educationi curam sumptusq; majores impendere, & commodis ipsorum tanqvam suis prospicere, deniqve & fiduciam illorum erga se beneficiis & lenitate augere. Col. 3, 21. Ephes. 6, 4. Ita tamen ut peccata ipsorum etiam sollicita castigatione cohibeantur. Prov. 13, 24.

§. VII. Ita & maritale imperium, qvia cum amore conjugali conjunctum est, necessariò ita debet temperari, ut sit omnium svaviſſimum, & uxori sit libertas monendi, svadendi, administrandi rem familia-

liarem, ut & de rebus minoris momenti disponendi, qvamdiu illa non abutitur. Maritus vero de uxoris commodo perinde ut de, de suo ipsius sollicitus sit. Ephes. 5, 28. Col. 3, 19. 1. Petr. 3, 7.

§. IIX. Potestas autem ecclesiastica omnis est ministerialis in docendo, monendo, arguendo, consolando, sacramenta administrando, consistens; Ita tamen ut jus involvat illa publice agendi, qvæ ad hoc officium spectant, clavem etiam ligantem & solventem pro ratione peccantium involvat. In qvibus omnibus nihil omnino negligere oportet, affectibus cœcis nihil dare, bono exemplo præire &c. utpote quod tum ipsorum, tum omnium, qui cum aliquo honore vel potestate sunt, officium est. 1. Tim. 5, 21. c. 3, 2, seq. 1. Petr. 5, 2. seq.

§. IX. Officium inferiorum est se potestati, qvam qvisqve habet, lubenter subjicere, reverentiamqve & obedientiam ei debitam præstare. Eph. 6, 1, 5, 6. c. 5, 22. 1. Petr. 2, 13. &c. etiamsi alter morosus sit. 1. Petr. 2, 18. cum nemini liceat se opponere contra superiorem.

§. X. Etiamsi autem Magistratus sit infidelis vel hæreticus, & sic omnis superior, parens, maritus, dominus (non autem item presbyter ecclesiæ,) non minus tan-

qvam si veram fidem amplecteretur, reverentia & obedientia ipsi debetur, nisi quid contra DEUM imperetur.

§. XI. Ad obedientiam Magistratui debitam pertinet exsolutio tributorum & vectigalium, qvam sanctam & justam esse oportet. Rom. 13, 7. Matth. 22, 21.

§. XII. Ad fidelitatem Magistratui debitam pertinet, ut omnem avertas opum dignitatumqve ejus imminutionem. Qvin oportet etiam contra hostem fines tueri omnibus viribus, nec anteqvam te victum esse senseris, & resistendi viribus destitutum, in potestatem novi domini concedere.

CAPUT XII.

De *Conjugio & Conjugum officio.*

§. I.

PRæter ea, quæ jam part. II. cap. 31. de conjugio habuimus, adhuc sequentia observamus. Recte illud definiunt Jure-Consulti per conjunctionem maris & fœminæ, quæ individuam vitæ consvetudinem continet. Nam perpetuæ conjunctionis vinculum forma est conjugii, qva à concubinatu, qvi sua natura tempora-

rarius est, differt. Matth. 19, 5, 6. Quamvis enim lege Mosis qvondam permissa fuerint repudia, irregulariter tamen & contra legem DEI permissa, vel potius tolerata sunt. Ibid. v. 8. Imo & contra finem contrahentibus propositum, qui individuam vitæ consvetudinem intendere saltem visi sunt. Quamvis etiam concubinæ qvædam perpetuo alantur ad finem vitæ suæ; non tamen ea intentione & promissione assumuntur.

§. II. Distingvendus tamen hic est proprie dictus concubinatus, qvi legi divinæ ad versus est, ab altero, qvi in solemnitatis dignitatisve civilis diminutione consistit, qvalis est, quæ sine dotalitio instrumento, vel qvæ ad manum lævam fit, desponsatio uxoris, qvæ verum conjugium, nec legi divinæ adversa est.

§. III. Hierologia sive benedictio sacerdotalis ad essentiam matrimonii non pertinet qvidem, nec lege divina præcise reqviritur; necesse tamen est ad evitandum scandalum, ut signo qvodam declaretur justæ uxoris acceptio, distingvaturqve à vaga libidine. Cumqve eum in finem antiquitus pie sit recepta, peccat scandalo, & contra ordinem ecclesiæ, qvi eam omittit. Sic & peccant contra hunc ordinem & interpretativo publico mendacio ludunt,

qvi jam ante clanculum sibi consueverunt.

§. IV. Conjugium conflatur consensu i. e. promissione sibi in nomine DEI mutuo facta, consummatur autem conjunctione carnali. A promissione sive desponsatione qvi recedit, adultero comparatur, qvia vinculo jam perfecto tenetur. Nihilominus qvia illud tantum morale; in consummato vero conjugio etiam naturale vinculum est, difficilius hoc duplex rumpitur, quam illud simplex.

§. V. Consensus reqviritur in contrahentibus (1) liber (2) certus. (3) validus.

§. VI. Matrimonium autem legitimum non contrahitur nisi inter unum marem & unam fœminam. Ita tamen ut gradus vel consangvinitatis vel affinitatis non obsit.

§. VII. Conjugii finis duplex est: Alter procreatio sobolis, atqve sic reqviritur tum ætas tum valetudo & aptitudo ad generationem: Alter mutuum adjutorium.

§. IIX. Habent Conjuges, quantum ad amoris conjunctionem, mutuam in corpora sua potestatem, ut nec sibi denegare illam, nec alii concedere possint 1. Cor. 7, 2. sq. Contra qvam inviolabilem tori Sanctitatem

tatem si egerint, ruperunt matrimonii fidem, ita ut ob adulterium recte conjux possit repudiari, Matth. 5, 32. cap. 19, 9.

§. IX. Debent Conjuges sibi invicem amorem perfectissimum, ita ut Parentes etiam conjugi postponantur, Matth. 19, 5. curamqve eam, qvam qvisqve sibi ipsi impendit, Eph. 5, 28, 29. ut ipse Christus diligit ecclesiam. v. 25. omni amota amaritudine Col. 3, 19. Et subjecta qvidem uxor debet esse marito Gen. 3, 16. Eph. 5, 22. sed maritus tamen & uxori honorem habere debet. 1. Petr. 3, 7. & eam alere, 1. Tim. 5, 8. Illa marito commodum afferre. Prov. 31, 10. seq.

CAPUT XIII.

De *Actibus Justitiæ Commutative.*

§. I.

Justitia commutativa spectatur in iis actibus, qvibus nec meliorem, nec deteriorem reddere alterius conditionem velle intelligimur, ut in permutatione rerum, & qvæ ejus qvædam species est, emtione & venditione, & successiva alia, qvæ dicitur mutuatio, vel in præstatione rei, ut locatione, commodato, deposito, pigno-

re, vel præstatione operæ, ut in societatibus & contractibus omnibus, qvibus qvid datur vel fit, ut aliud fiat, & sic qvoqve mandati & negotiorum gestorum contrariis obligationibus. In qvibus omnibus nulla vel Regis vel humilis conditio differentiam juris parit, sed æqva semper utrinque debentur officia.

§. II. In contractibus hisce ut rite versemur non tantum rei intervenientis vel præstationis inæqvalitas, sed & error metusqve contrahentium cavendus est. Requiritur etiam, ut qvi sic contrahit, habeat contrahendi potestatem, sive de re sua, sive de aliena contrahat.

§. III. In permutatoriis contractibus ut inveniatur æqvalitas, opus est æstimatione rerum, qvæ pro ratione utilitatis & copiæ vel majoris vel minoris variat.

§. IV. Qvi nescio veræ æstimationis carius qvid tradit, vel rei traditæ vitium occultat, male agit, multo magis, qvi falsis encomiis, ornatibus rei, persvasionibusqve; vel & mensuris fallacibus alium ad contractum allicit.

§. V. Ad æstimationem justam faciendam pertinet etiam mora temporis, ut qvemadmodum ex agro fructus naturales expectantur: ita & ex aliis rebus & pecuniis fructus industriales & civiles; unde

unde adeo usuræ recte petuntur. Quæ tamen non debent esse mordentes.

§. VI. Spectatur autem justitia commutativa non tantum in contractibus; sed & in delictis, qvibus alterius vel honori vel opibus vel valetudini damnum infertur, ut nempe quantum delinquentis culpa ablatum est, tantum ab eodem restituatur pro cujusqve loci vel sveta vel judicis aut arbitri æstimatione.

§. VII. Qvia delictis contra legem vel divinam vel humanam admissis etiam læditur legislator, utiqve & ille tantundem pœnæ pro honore suo conservando vel recuperando recte poscit & poscere tenetur, qvantum delicto ablatum est. Qviqve delinquentem coercere tenetur, nec coercet, in parem cum delinqvente culpam incidit. Qvamvis & gratia Magistratus, qvæ delinqventi interdum fit, locum habeat.

§. IIX. Qvi re qvadam deceptus est, non habet potestatem eâdem alium rursus decipiendi; sed damnum ferre potius, qvam neqvitiæ imitator esse debet. Neqve, si pauperibus distribuas qvod injuste abstulisti, justitiæ satisfiet, qvia nec læso sarcis damnum, nec liberalis es, cum de alieno es. Si tamen restitui illi neqveat, qvi deceptus est, neque ejus hæredibus, præstat

pauperibus dare iniquum lucrum qvam retinere ; qvia qvamdiu retines non displicet, inde dicitur : Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

CAPUT XIV.

DE

Veritate & fide verborum.

§. I.

QUia verba sunt signa animi, ad signi autem naturam & conceptum reqviritur, ut signato respondeat, alioqvin signum non est, etiam verba cum animo loqventis convenire oportet, & qvicqvid ab illo alienum est, mendacium est & fraus. Distinguunt qvidam vulgo in mendacium dolosum jocosum & officiosum, & illud tantum, non hæc prohibita esse volunt ; sed jocosum nullum bonum est, nisi ubi jocum esse constet audienti, & honestum & alium sensum vel finem verbis intendi. Qvo pertinent fabulæ & comœdiæ, tunc enim qvasi ex pacto verba à literali propria significatione eximuntur. Officiosum vero, qvod dicitur, cum honesti finis tanqvam necessarium remedium arripitur v. gr. ad non turbandum ægrotum, ad svadenda salutaria consilia,

ad

ad silentium arcani servandum, & si per se bonum non est, pro vitæ tamen humanæ conditione ignoscitur à DEO, cum sine illo officium qvod majoris est, facere non possumus. Exod. 1, 19. Interim tamen qvantum fieri potest, caveri debet.

§. II. Qvia autem verba non tantum animi signa sunt; sed etiam rerum, necesse est, ut non minus cum ipsis rebus conveniant, quam cum mente dicentis. Unde verba promissoria reqvirunt præstationem, qvippe quam respiciunt, eiqve cui fiunt, exigendi jus dant. Si vero non seqvatur præstatio, falsa & mendax est promissio.

§. III. Qvi qvid testatur vel promittit, verbis debet uti ea significatione, qva præsumit illa ab eo, cui loqvitur, acceptum iri, qvia alioqvin dolose agit.

§. IV. Error verborum citra dolum quo aliud putat, qvi loqvitur, aliud qvi audit, qvacunqve alterius culpa, facit, ut nihil valeant dicta. Error causæ, cum ex hypothesi aliqva qvid dictum est, qvod postea falsum esse deprehenditur, distingvendus est. Vel enim hypothesis talis est, qvæ utrinqve videbatur supponi, aut suppositæ esse facile præsumitur, & non potest inde urgeri assertor vel promissor, vel talis, qvæ non facile præsumitur, nec urge-

urgeri potest. Sed & præterea dispiciendum est, utrum sine illa hypothesi nihilominus asseruisses vel promisisses, sive simpliciter sive jurato, an vero minus; illo casu teneris simpliciter, hoc non item.

§. V. Metus non obest obligationi promissionis, qvia coacta voluntas etiam voluntas est, unde & quæ latronibus promittuntur, servanda sunt, modo sine turpitudine vel peccato præsumi queant.

§. VI. Justitia hæc verborum dicitur fides, qva omnes contractus inter homines constant.

§. VII. Promissio sæpe actibus nostris tacita inest, ex ipsa illorum natura; qvod non alia lege liciti sint, ut susceptio mandati, negotiorum gestio, societas &c.

§. IIX. Est etiam promissio qvædam & assertio tacita, qvæ ex omissione actus præsumitur, cum nempe qvis non agit vel loqvitur, qvæ ageret vel loqveretur, si aliud vellet, qvorum adeo omissio contrariam voluntatis præsumtionem facit hominibus, qva, cum fieri novit qvæ fiunt, tacendo, & non opponendo se illa videtur approbare. Ex qvo tacito consensu jura præscriptionum oriuntur.

§. IX. Ad promissiones vel expressas vel tacitas, pertinent etiam jura amicitiæ, cum ex ipsa familiaritate qvisqve præsumitur

mitur etiam tacitam fidem dediſſe diligentiæ præſtandæ in alterius commodum.

§. X. Cum autem facilis ſit in omni cauſa lapſus, quisque generaliter tenetur bene moderari lingvam, & potius tacere qvam multa proloqvi. Jac. 3, 1. ſeq. Cohelet. 3, 7. Qva in re etiam modeſtiæ ſtudium ineſt, ne alios tuo ſermone indigere, aut præ reliqvis ſapere tibi videaris. Interim tamen ubi officii ratio jubet loqui, nec tacendum eſt, ne tacendo videaris probare, quæ fiunt, aut quæ impedire poteras, negligas. Ezech. 33, 8.

CAPUT XV.

DE *Officio erga Inimicos.*

§. I.

Qvamvis qvi lædit alium, contra officium agat, non tamen cum ipſo facto amoris fundamentum perit, qvo ipſum proſeqvi tenemur. Ideoqve inimico etiam dilectionem debemus, qvæ complectitur potiſſimum (1) omnem offenſæ remiſſionem (2) preces (3) beneficentiam.

§. II.

§. II. Non tamen dilectio hæc excludit omnem legitimam defensionem adversus inimicum. Qvapropter judicem implorare omnino licet, vel etiam extrajudicialibus sermonibus de injuria conqveri, & ut inde abstineatur, monere. Si tamen contentio apud judicem operosior sit, & majore forsitan cum scandalo vel peccati occasione conjuncta, qvam ipsum damnum tuum, sive præsens, sive quod futurum metuis, vel si etiam causa dubia sit, ubi est periculum injuriæ aliis faciendæ, potius ferre id omne oportet, tanquam in qvo patientiam tuam DEus velit probare, qvam strepitus multos movere. Quo & collimare videntur loca. Matth. 5, 39. 1. Cor 6, 7.

§. III. Idem dicendum est de bello. Hinc nec offensivum ullum bellum licitum est, nisi qvatenus offensio bellica consequens est necessariæ defensionis.

§. IV. Qvia autem nec media defensionis debent ipso, à quo te defendis malo, acerbiora esse, patet quod non plus mali defensione inferre liceat, quam ipse metuis. Ideoque non tantum alteri vitam adimere, cum ipsi tibi vitæ periculum non intentatur; sed &, cum intentatur nefarie, aggressori, ullo modo mutari id si potest, eam adimere, ut æternum pereat, con-

contra officium hominis Christiani est. Quamquam enim, qui aggressorem talem occidit, in foro humano necessario impune dimittendus, ne grassatorum crescat audacia; tamen in foro divino ex jure charitatis res arctius æstimatur. Conf. Rom. 5, 8. 1. Joh. 3. 16. Matth. 5, 39.

§. V. Defensio qvæ armis fit tunc demum est licita, cum aliis mediis fieri nequit, ideoque si jure potes experiri & causam ad magistratum devolvere, vel fugâ te eripere, hæc vel alia qvævis media potius eligenda sunt.

§. VI. Non tantum in amoliendis injuriis sed & in explicandis, accipiendisve, debemus cauti esse, ne facile qvid in injuriam nostram factum esse interpretemur. Quin potius etiam quando molestia vel damnum fit, lædentem excusare & nos ipsos examinare oportet, annon ei rei causam dederimus. Cumque & alter sibi causam inimicitiarum datam esse possit credere, quæ data non est, quotiescunque illum quovis modo offensum esse novimus, excusare qvod factum est apud illum & omnibus modis ejus reconciliationem petere, & si quid in ipsum admisimus, amice deprecari offensam, idque quanto ocius, par est. Matth. 5, 4. seq.

§. VII. Peccatum hic est odium inimici se-

ci se exerens in cogitationibus, verbis, gestibus & operibus.

CAPUT XVI.

De

Officio erga Bruta.

§. I.

DAri officia etiam erga bruta satis constat ex Deut. 20, 6. Prov. 12, 10.

§. II. Officium hoc potissimum consistit in eo, ut moderate potestate nostra supra bruta utamur, nec supra vires illa ad labores adigamus, aut tormenta, sive dolores, illis creemus, quos avertere sine ulla molestia possumus, quin potius eorum misereamur, & suppetias feramus, si opus habeant. Uno verbo, obligamur bruta ad eos fines recte usurpare, ad quos à DEO nobis data sunt.

§. III. Hinc peccatur in bruta crudelitate, ita etiam amore & curâ nimiâ, item per lasciviam, cum incitantur ad spermationes praeternaturales. Maxime vero abominabilis est hominis cum bestiâ commixtio.

§. IV. Animalia viva devorare, aut sanguinem ipsorum prohibuit DEus Noacho, ejusque

ejusqve posteris. Gen. 9, 4. eadem lege Mosaica, & postea cum de illa retinenda qvæstio moveretur in Concilio Apostolico repetitum est, ne ex N. T. Christianis ex Ethnicis conversis esus sangvinis liceret. Unde omnis vetus Christianorum ætas ab eo diligenter abstinuit, hodieqve Græci abstinent. Qvia tamen Paulus legem de idolothytis non comedendis eadem sanctione Apostolica latam ita explicat 1. Cor. 8. ut id scandali tantum evitandi causa prohibitum esse declaret, idem ex paritate causæ etiam de sangvine interdicto senserunt postea Latini; ut neqve hodie apud nos vulgo inde soleat abstineri.

CAPUT XVII.

De *Officio nostro respectu Diaboli.*

§. I.

REspectu diaboli nullum aliud nobis est officium, qvam ut ipsum & qvæcunqve ejus studia sunt, impense oderimus, illumqve nunqvam nobis amicum; sed semper hostem infensissimum esse judicemus, contra qvem pugnare oporteat.

§. II. Atrocissima ergo peccata sunt magia,

gia, pacta cum Diabolo & explicita & implicita.

§. III. Adjurare dæmones vel res creatas bono sensu dicitur, qvi ex plena fiducia fidei diviniqve auxilii certus diabolis aut rei cuivis imperat, ut desinant molesti esse. Sensu vero malo dicitur adjurare illos, qvi qvamvis nomen DEI adhibeat, non tamen vera ejus, sed prava certorum verborum characterumqve fiducia diabolum abigere vel advocare studet.

§. IV. Ex remissiore odio diaboli oritur securitas, qva multi ab ejus insidiis se tutos esse arbitrantur, & vel spectra nulla dari credunt, vel curiosius colloqvia cum illis miscere audent. Ex remissiore autem DEI fiducia oritur timiditas, qva in omni solitario & tenebricoso loco spectra pavemus; item qva sagæ timentur vel demulcentur, ne noceant, & ad superstitiosa recurritur media.

§. V. Divinandi artes, aliæqve, qvarum ratio occulta est, magis fugiendæ, qvam appetendæ, ne qva subtili & clandestina ratione ad opera aut ludibria Satanæ abducaris. Nec tamen omnia, qvæ mira nobis videntur, pro Sathanicis habenda sunt.

§. VI. Pari cautione opus est, si qvæ visio nobis obtingat, aut occurrat homo, qvi creditur obsessus. Ut illic qvidem habeamus

mus semper suspectam Satanæ fraudem, ne & sub schemate angeli lucis fallat. Hic vero attendamus, an effectus etiam sint tales, ut à morbo naturali proveniant.

CAPUT XIIX.

De *Officio nostro erga nos ipsos.*

§. I.

OFficia illa, qvæ nobis ipsis debemus extendunt se potissimum ad duas illas principales & essentiales partes, animam scilicet & corpus.

§. II. Adeoqve hic officium nostrum est, ut utriusqve habeamus curam tam naturalem, qvam moralem.

§. III. Naturalis animi cura est, ut homo rationis usum sibi servet sanum, neqve qvid admittat, qvo fatuus, morio, furiosus fiat; sed potius judicium acuere, & scientiam sibi augere gaudeat.

§. IV. Corporis vero cura est, ut illud sibi quisqve sanum servet, & ex iis, quæ sibi DEus largitus est bonis, honeste recreetur. Unde peccatur avaritia, sævitia in corpus, & qvando studio vanitatis sanitati nocetur.

§. V. Habemus qvidem nostri potesta-

tem etiam ad subeunda mala, modo id fiat ex causa justa & honesta, non tamen adimendi nobis nostrâ sponte ejus, quod restituere non possumus, vitæ scilicet & membrorum jus habemus. Alia vero res est, si membri amputatione vita servatur.

§. VI. Curandum autem ita corpus, ne lasciviat, aut torpeat ad preces, aut mens obruatur. Hinc magnum peccatum ebrietas. Eqvidem convivia sunt licita, & vota salutis alienæ etiam inter pocula possunt pia esse, cavendum tamen neqvid nimis.

§. VII. Quandocunque tamen pœnitentiam & supplicationes res nostræ postulant, hinc ad animum à deliciis mundi avocandum, eo magis contritionem augendam, DEUMque ardentius invocandum, jejunia, vilem vestitum, & deliciarum fugam imperare nobis conuenit,

§. IIX. Ad civilem etiam hominis vitam pertinet cura famæ & existimationis nostræ, cujus neminem prodigum esse debere etiam vulgato verbo dicitur. Neqve tamen hac prophasi abuti decet ad ambitionem & superbiam.

§. IX Cura animi moralis consistit in genere in hoc: Scimus animam esse immortalem, ita ergo curanda, ut ei æternum bene sit. Specialiter vero officium

mora-

morale est, ut animum immunem servemus ab omnibus motibus & affectibus pravis, & qvamvis illos, qvi dicunrur primi, cavere neqveamus, secundos tamen per Spiritus S. gratiam cavere possumus & debemus, ne scilicet delectationi cuidam inhæreamus, nedum consilia exeqvendi malum animo volvamus, sed ut resistamus illis tentationibus & per Spiritum in hac lucta cum carne vincamus.

§. X. Cura corporis moralis est, ut sanctum & intemeratum præstetur ab omni abusu, ne id polluamus ad illicitos actus membra adhibendo Rom. 6, 19. cumqve DEUS casto conjugio voluerit genus humanum propagari, etiam ab omni scortatione, impudicis concubitibus, aut contra naturam nefandæ veneris usu illud liberum præstare oportet. 1. Cor. 6, 16. seq.

§. XI. Vestitus corporis etsi pro cujusqve loci climate etiam ad illud à frigore & injuriis cœli, aut à terræ asperitate, & volitantium animalculorum incursatione defendendum prodest, principaliter tamen ab initio justi pudoris causa ad nuditatem partium corporis obscœnarum tegendam datus est. Gen. 2, 25. c. 3, 7, 10, 11, 21. Hinc nec oportet vel aliena pudenda aspicere, vel sua retegere, idqve ut generaliter, ita præcipue respectu eorum

qvi sibi peculiarem reverentiam alter alteri debent. Gen. 9, 22. seq. Exod. 20, 26. Id qvod merito producimus ad omnem membrorum denudationem, qvæ vulgo pro more gentis tegi solent, qvorum insolitus aspectus libidinem acuit (unde de velandis virginibus plurimum scripsere Patres) præcipue vero illarum partium, quæ pro sexus differentia in homine variant, unde de velando pectore monere hodie solent Ecclesiarum Presbyteri. Conf. 1. Tim. 2, 9. &c.

§. XII. Atque hæc etiam in agendis nunc sufficiant, qvantum compendii ratio admittere voluit. Quæ uti in præfamine jam monui, ex consummatissimi illius Theologi B. Dn. D. JVSTI CHRISTOPHORI SCHOMERI *Specimine Theol. Moral.* ejusqve *collegio Theol. moral.* per modum excerptorum depromta sunt, & ut sensus B. Viri eo melius constaret, ipsa ejusdem verba qvoqve potissimum tam ex *Specimine*, qvam ex *Collegio MSto* retinere volui, qvemadmodum & vestigia ejusdem in toto hocce specimine legere placuit. Quæ forte in postrema hac parte obscuriora videbuntur, eo clariora ea fient, si cum iisdem conferetur integrum illud B. Viri *Theol. moral. Corpus*, quod quam proxime cura ac studio suo singulari Illustris Dn.

SCHO-

SCHOMERUS Sereniſſ. Principis Regentis Mecklenb. Conſiliarius longe dexterrimus, Vir incomparabilis fraterni judicii atqve acuminis hæres feliciſſimus ſtudiiqve moralis qvoqve amator atqve excultor longe ſtrenuus luci publicæ iterum exponet. Ita & conſuli poterunt Theſes illæ doctrinæ moralis, quas ex eodem nobiscum fonte, nimirum juxta præſcriptionem B. Dn. D. JUSTI CHRISTOPH. SCHOMERI, deſumſit ac publicavit Excellentiſſ. Gymnaſii Guſtrov. Rector Dn. Joach. OTTO, maxime genuinus B. Schomeri diſcipulus. Nos interim DEO noſtro devotiſſimas noſtras pro ſua nobis hactenus conceſſa Gratia perſolvimus grates. Sit ipſius Ter Sancto Nomini Laus Honor & Gloria in ſempiterna Secula

AMEN.

INDEX CAPITUM.

Prolegomena generalia pag. 1.

PARS I.

C. 1. de Exiſtentia DEI, cui obligamur. 15
C. 2. de Obligatione ipſâ. 23

PARS I.

C. 1. de Credendis in gen. 32
C. 2. de Script. S. 35
C. 3. de DEO 46
C. 4. de Creatione. 56
C. 5. de Angelis. 60
C. 6. de Providentiâ 70
C. 7. de Vitâ & morte æternâ. 74
C. 8. de Imagine Dei. 79
C. 9.

C.9. de Peccato. 84
C.10. de Viribus Liberi arbitrii. 96
C. 11. de Benevolentiâ Dei universali. 97
C.12. de Electione. 100
C.13. de Christo. 105
C.14. de Vocatione. 127
C.15. de Conversione. 129
C.16. de Illuminat. 134
C. 17. de Pœnitentia. 136
C.18. de Justificatione 140
C.19. de Regeneratione. 145
C.20. de Unione Myst. 147
C.21. de Renovatione. 150
C.22. de Lege & Evang. 152
C.23. de Sacramentis. 159
C.24. de Baptismo. 162
C.25. de S. Cœnâ. 167
C.26. de Testamentis. 174
C.27. de Fide & B. O. 178
C.28. de Ecclesiâ. 182
C.29. de Minist. Eccl. 186
C.30. de Magistrat. 190
C.31. de Statu Oecon. 192
C.32. de More & resurrect. 195
C.33. de extremo Judicio & confirmat. Seculi. 197

PARS III.

C.1. de Agendis in gen. 200
C.2. de sanctitat. & perfect. Christiana. 204
C.3. de princip. actionum moral. 208
C.4. de Justitiâ Univ. 220
C.5. de Naturali erga Deum obligatione 229
C.6. de Fide spe & Charitate. 233
C.7. de Laude & Confess. Dei. 240
C.8. de Precibus, juramentis & votis 248
C.9. de Officio erga Angelos & B. Cœlites. 251
C.10. de officiis hominum superstitum erga se invicem. 252
C.11. de Officiis inter superiores & inferiores 356
C.12. de Conjugum offic. 260
C.13. de Justitia Commut. 263
C.14. de Veritate & fide verborum 266
C.15. de Officio erga inimicos. 296
C.16. de Officio erga bruta. 272
C.17. de Officio resp. diaboli. 273
C.18. de Officio erga nos ipsos. 275

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025697472/phys_0292
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025697472/phys_0296
DFG

Hæc ex illa ſeqvitur, &
firmatio eſt, gaudio
perfundens. Ubi tam
non procul eſt.

§. IIX. Objectum f
cujus autoritati credim
DEus eſt, minus prin
rum miniſterio DEUS
objectum pro diverſa f
in triplici latitudine
qva hiſtorica eſt, ſeu
lo abſolvitur, omnia
tur: Qva fiducialis eſt
miſſiones: Qva ſpeci
niſi gratiam per Chr
tam.

§. IX. Ex fide naſci
præſentem gratiam po
ulteriorem ſperat. Et
ta tam arcte inter ſe co
niſi mente & ratione d
& fides qvædam ſpes,
des eſt. Differunt tam
jecto formali, dum fi
præſentem, ſpes ut futu

§. X. Spes qvæ in
debet eſſe conformis.
ſperandæ ſunt à DEo, ſu
qvæ amore ejus pater
noſtrum commodum

i con-
num-
ntatio

le eſt,
baliter
, qvo-
e vero
ationē
Nam
nſu ſo-
plecti-
n pro-
a non
par-

enim
turam
riſma-
e non
Nam
dam fi-
& ob-
em ut

a fidei
n qvæ
mnia,
, & ad
om. 8,
32.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025697472/phys_0297
DFG